

Biblioteca  
ASTRA, Sibiu

P.C.N.

8105

112

SN 1958



3093

INSTRUCTIO  
CATECHETICA  
QUINTA  
De Mysteriis Christi  
Gloriosis.

Sive  
De Quinto, Sexto, Septimo Symboli  
Apostolici Articulo.

Omnium, qui in Fide, & Re-  
ligione Christiana, & Catholica  
erudiri cupiunt, ac debent,  
utilitati proposita.



Ex Bibliotheca Catechetica erectora  
Tyrnaviae in Collegio Societatis  
J B S U.

TYRNAVIAE,  
Typis Academicis Societatis JESU,  
Anno M. DCC. XXI.

2354

# Instructio Catechetica.

Quinta.

## De Mysteriis Christi Gloriosis.

Sive

De Quinto, Sexto, Septimo Symboli  
Apostolici Articulo.

§. I.

De Domini descensu ad inferos.

**D**escendit ad inferos. Hoc Mysterium in Symbolo Missæ omittitur : in Athanasiano apponitur : in hoc verò Apostolico , licet à non nullis veterum non legeretur ; (qui nihilominus , & ipsi ut certum , sunt illud alibi confessi ) ab aliis tamen communiter , & à multis jam seculis ab Ecclesia universa recitatur.

E 2

Af-

Afferunt illud suis in catechismis etiam Hæretici : sed tam monströsè spiritu suo fanatico , quo Fidei doctrinam tractant , explicantes ; ut horror sit Christianis auribus vel audire , Calvinum docentem : descendisse Dominum ad inferos ; hoc est in cruce desperantē , pœnas damnatorum in anima sustinuisse in orco . Alii eorum , *descendit* ajunt , id est , *sepultus est* : tautologiam committentes in Symbolo ; sive bis eadem rem , phrasī solā variatā ponentes . Alii dicunt , *descendit* , hoc est , *anima egus interiit prorsus* , tertio rursum die resuscitata : denique absurdissima quæquæ malentes , quām tertium à cœlo & inferno damnatorum , locum animarum distinctum admittere : Mysterium hoc re penitus verâ tollentes . *Ascendens in altum* , inquit Apostolus , *captivam duxit captivitatem* : (a) Patres quos è limbo eduxit . *Quod autem ascen-*  
*dit,*

(a) Eph. 4. 8.

dit, quid est, nisi quia & descendit pri-  
mùm in inferiores partes terræ? Qui de-  
scendit, ipse est, & qui ascendit super  
omnes cœlos, ut impleret omnia (a)  
ut suâ nimirum præfentiâ, fructuq;  
sanguinis, supera & infera omnia  
impleret: ut verè in nomine JESU  
omne genu fleteretur, cœlestium,  
terrestrium, & inferorum. Idem  
iterum: *Quis*, inquit, *ascendet in cœ-  
lum?* id est, *Christum deducere;* aut  
*quis descendet in abyssum?* hoc est, *Chri-  
stum à mortuis revocare.* (b) Clatissi-  
mè S. Petrus, in prima sua post ac-  
ceptum Spiritum Sanctum concione  
ad Judæos, de Resurrectione Salva-  
toris differens, ac Davidem in ejus  
Persona citans dicentem: *Non dere-  
linques animam meam in inferno:* nec  
*dabis sanctum tuum videre corruptio-  
nem,* (c) subjungit: *locutus est de Re-  
surrectione Christi, quia néque derelictus  
est in inferno, néque caro ejus vidit cor-*

ruptionem. (a) Unde manifestò , & anima illius in inferno , & corpus in sepulchro fuisse distinctum , à SS. Patribus colligitur. Idem in Epistola sua : & his , ait , qui in carcere erant spiritibus , veniens prædicavit. (b) Hanc in sententiam intelligunt illum quoque Psalmodi locum : Eduxisti ab inferno animam meam , salvasti me à descenditibus in lacum. (c) Ut & alterum : Aestimatus sum cum descendantibus in lacū , factus sum , sicut homo sine adjutorio , inter mortuos liber : liber inter Patres sanctos , mortis captivos. Posuerunt me in lacu inferiori. (d) Demum & illum Ecclesiastici textum : Penetrabo omnes inferiores partes terræ , & inspiciam omnes dormientes , & illuminabo omnes sperantes in Domino. (e)

Quæstio est inter Catholicos Doctores , ad quæmnam inferorum locum descendedit anima Salvatoris à corpore separata : quatuor enim

(a) Att. 2. (b) 1. Pet. 3. 19.

107-

(c) Ps. 29. 4. (d) Ps. 87. (e) Eccles. 24. 45.

hujusmodi docent ergastula esse  
subterranea. Primus est carcer da-  
mnatorum, qui per antonomasiam  
infernus dicitur, unde nulla est re-  
demptio: quem opinor vocatum in PL.  
85. *infernum inferiorem* Secundus est  
locus eorum, qui cum originali pecca-  
to non expiato decedunt, nullo  
actuali peccato admisso, visione bea-  
tâ in perpetuum, ob peccatum originale  
privandi; poenas nihilominus alias  
damnatorum, ut est probabilius,  
non habituri: atque hic Limbus  
puerorum vocatur. Tertius est,  
quem purgatorium nominamus,  
carcer, in quo torquentur ad tem-  
pus animæ cum reatu poenarum  
temporalium morientium, usque  
dum satis pro eo patiantur; vel per  
Indulgentias, modosque alios ex-  
piantur. Quartus est Limbus Pa-  
strum, hoc est, eorum Sanctorum,  
qui mortui ante Christi adventum,  
vel absq; omni reatu, vel in purgato-  
rio jam satis passi, expectabant in

eo carcere , dum veniret , ac libe-  
raret , cōsque secum in cōlum de-  
duceret Redemptor ; qui primus  
suo illud ingressu , humano generi  
debebat referare : quibus tametsi  
aliā nullā pressis calamitate , per-  
quam durum erat expectare tempo-  
re tanto liberatorem suum , ac bea-  
titudinem æternam; ad quam , (per  
Christi prævisi merita , gratiamque ,  
in qua defuncti sunt ) post ejus ad-  
ventum obtinendam , jus habebant.  
Has quatuor tam diversas classes  
animatorum , cœlestibus gaudiis post  
hanc vitam carentium , meritò in  
quatuor diversa inferorum loca di-  
stribuimus : quæ si non multūm di-  
cas , quod est probabile , ab invi-  
cem dissita ; potes in unum omnia ,  
vel tria eorum saltēm , fontibus con-  
stituta , infernum compingere am-  
pliorem , in partes totidem descri-  
ptum : quomodo videmus in ali-  
qua magna reorum custodia , detine-  
ri alio in loco magis , alio minūs

son.

fontes; alia pœnis his, alia illis ad-  
dictorum esse receptacula. His ita  
constitutis, Salvatoris animam de-  
scendisse verè ad infernum damna-  
torum, non defuere, qui è Catho-  
licis Doctoribus etiam, existima-  
rent; non ad pœnam ullam susti-  
nendum, sed ut ibi triumphum de  
morte, atque inferno ageret; liga-  
ret antiquum serpentem, confirma-  
ret eorum condemnationem: pari-  
ter ad limbum quoque puerorum:  
multò verò convenientius ajebant,  
ivisse in purgatorium, animasque  
illas piaculares, indulgentiâ suâ li-  
berâsse: omnes denique iustorum  
animas ab inferis eduxisse: itaque  
impletam Scripturam, quâ dicebat:  
*Penetrabo omnes inferiores partes terræ.*  
Verùm communis, & probabilior  
longè sententia est, Domini ani-  
mam verâ suâ præsentia in damna-  
torum infernum, unde nulla re-  
demptio, non venisse; at virtute  
suâ duntaxat operatam ea fuisse,

quæ allegantur : pariter nec in lim-  
bum puerorum ; in quo quidnam  
operari debuerit, non video. Pro-  
babilius etiam censendum , quod  
persuam substantiam non descendit  
in purgatorium ; qui locus , poena-  
rum quippe horribilium , animam  
illam triumphantem vix decebat :  
satis fore , si dicamus , quod virtu-  
te suâ omnes illas animas purgan-  
das , vel saltèm earum partem ab-  
sens eliberaverit : hoc enim ab eo  
jubilæum illis indulatum , gravissimi  
docent Anthores.

Quod porro in sanctorum Pa-  
trum infernum descenderit, non so-  
lâ virtute , sed reali ac substanciali  
suâ præsentia ; hoc certum & indu-  
bitatum , credendum ajo. Hic il-  
le locus est , quem Limbum Patrum  
vocant Theologi ; Scriptura *simus*  
*Abrahæ* : in quo vidit Epulo e tor-  
mentorum loco Lazarum : item *la-  
cum* , tum pluribus in locis jam alle-  
gatis , tum apud Zachariam de Sal-

vatore prophetantem : Tu quoque  
in sanguine testamenti tui emisisti vindictos  
tuos de lacu, in quo non est aqua. (a)  
Hunc locum intellexit Dominus,  
cum Latroni promisit : Hodie mecum  
eris in Paradiso : die profecto illo,  
ut ait S. Augustinus, (b) Christus  
non erat in cœlo, sed secundum  
animam erat in inferno, & secun-  
dum corpus in sepulchro : ergo die  
illo, quo & Christus & Latro ille  
bonus mortuus est, convenerunt  
ambo, non in cœlo empyreo, sed  
in paradyso, hoc est, in sinu Abra-  
hæ; in conventu & diversorio Pa-  
trum illorum, non modò per gra-  
tiam Sanctorum, sed etiam per Chri-  
sti præsentiam Beatorum : in loco,  
qui eo potissimum in triduo, Paradi-  
sus verè dici poterat. Ad hos in-  
feros descendens, illuminavit omnes  
illos sperantes in se, consolatus est  
expectantes redemptionem Israël,  
clamantes per tot secula : Rorate ca-

*Si desuper, & nubes pluant justum.*  
Tunc ô Domine ! Abraham Pater  
noster, qui exultavit ut videret diem  
tuum, verè vidit & gavisus est. (a)  
Vidit novissimum Adam, & gavisus  
est, culpam suam nostrâmq[ue], tan-  
to Redemptore felicem, vetus A-  
dam; néque esse sicut delictum, ita &  
donum. (b) Vedit Abel agnum oc-  
cisedum, cuius vox sanguinis ab ori-  
gine mundi clamabat ad Deum de-  
terra, (c) & lacum illū aquâ tribula-  
tionis carentem implebat. Vedit  
Nöe Salvatorem mundi pereuntis,  
& amplius octo animas salvas fa-  
etas, (d) in ligno contemptibili.  
Vidit Abraham, Isaac, Jacob, De-  
um titulo singulari suum; semen  
suum, in quo benedicendæ omnes  
gentes. Vedit Moyses famulus in  
domo, Filium in domo sua, qui fa-  
bricavit illam: cuius is improperium,  
majores divitias æstimabat thesauro

Ægy-

(a) *Joan. 8.* (b) *Rom. 5.15.* (c) *Apoc. 13. 8.*  
(d) *1. Pet. 3. 20.*

**Egyptiorum.** (a) Vedit Job , sci-  
vitque Redemptorem suum vivere ,  
quem paulò pòst *in carne* quoque  
*sua visurus* , & oculi ejus conspecturi es-  
sent. (b) Vedit David Filium tanto-  
pere à se decantatum , dixítque ad  
illum : *Exurge gloria mea ! exurge psal-*  
*terium & cythara ! responso accepto :*  
*Exurgam diluculo.* (c) Isaias, ac Jere-  
mias vidit, quem multò anteà evan-  
gelizavit : sed & reliqui Videntes  
dicti , tunc primùm in veritate vi-  
derunt , & gavisi sunt, cum nomine  
omen tenentes. Videre tres pueri,  
quem inter mortuos liberum , in  
fornace ignis ardentis , *quasi ex uno*  
*ore laudantes Deum* repræsentabant.  
Vedit Simeon gloriosum , quem  
puerum ulnis excipiens , *Nunc dimit-*  
*sis Domine !* voce olorinâ concine-  
bat. Joannes Baptista vedit , &  
*exultavit in gudio* multò majori ,  
quàm cùm infans Infantem , ex-  
ute-

(a) *Hebr. 3. 5. item II. 26.* (b) *Job. 39. 25.*  
(c) *Pf. 107. 3.*

ntero in Utero præsentem persen-  
sisset. Viderunt Infantes, nuper ab  
Herode hunc in illis Infantem per-  
dendum quærrente occisi : & gavisi  
sunt, potuisse morte suâ mortem se  
redimere , sui Redemptoris. Vi-  
dit Josephus Atlantem cœli , quem  
non ita pridem in varias regiones,  
suave , dulcéque onus deportabat.  
Primæ Crucifixi manubiæ, Latro vi-  
dit , & obstuپuit eam Domini Re-  
gísque , quem modò fortiter con-  
fessus erat ; eam sui , qui novissimâ  
horâ veniens , adnumeratus primis;  
eam patibuli gloriā,& conversionem  
in paradisum. Omnes denique il-  
li viri desideriorum , quem præfi-  
gurantes suspirabant , viderunt ,  
& gavisi sunt gaudio magno valde.  
Vis scire , quām magno ? quantum  
est Beatorum in cœlo: Sancti enim Pa-  
tres , aliisque Doctorum tradunt ,  
tunc illorum animas , statim per  
Christum, visione præsentis Dei fa-  
cie ad faciem , beatas effectas , ac  
Re-

Redemptori suo conglorificatas.  
Quis mortalium jubilationem hanc  
Domini & Amicorum ejus, Sponsi  
ac Sponsæ capere , vel exponere  
queat ? Cur igitur inquis , dicun-  
tur è miseria , è captivitate , ex in-  
ferno educti ? R. Imò , quia carcer  
ille ante Christi ad eos adventum  
merebatur ea nomina , néque post  
illum. 2dò , quia & illæ Patrum,  
secundum suam naturam appete-  
bant ; & Domini potissimum Anima  
suo debebat corpori restitui , jun-  
ctimque cum illo beari. 3tiò , ad  
locum quoque Redemptori suo , ac  
recuperatæ per eum felicitati con-  
gruentem , è corde terræ in cœlum  
tertium anhelabant.

Si quæras , cur sepultura Domini  
inter dolorosa , & descensus ad in-  
feros inter gloriaea ejusdem myste-  
ria ponatur à Symbolo ? R. Se-  
pulchrum ejus , ut & mors , factum  
quidem est gloriosum in mundo  
temporibus procedentibus ; at re  
ipsâ

ntero in Utero præsentem persen-  
sisset. Viderunt Infantes, nuper ab  
Herode hunc in illis Infantem per-  
dendum quærrente occisi : & gavisi  
sunt, potuisse morte suâ mortem se  
redimere , sui Redemptoris. Vi-  
dit Josephus Atlantem cœli , quem  
non ita pridem in varias regiones,  
suave , dulcēque onus deportabat.  
Primæ Crucifixi manubiæ, Latro vi-  
dit , & obstuپuit eam Domini Re-  
gisque , quem modò fortiter con-  
fessus erat ; eam sui , qui novissimâ  
horâ veniens , adnumeratus primis;  
eam patibuli gloriā, & conversionem  
in paradisum. Omnes denique il-  
li viri desideriorum , quem præfi-  
gurantes suspirabant , viderunt ,  
& gavisi sunt gaudio magno valde.  
Vis scire , quām magno ? quantum  
est Beatorum in cœlo: Sancti enim Pa-  
tres , aliique Doctorum tradunt ,  
tunc illorum animas , statim per  
Christum, visione præsentis Dei fa-  
cie ad faciem , beatas effectas , ac  
Re-

Redemptori suo conglorificatas.  
Quis mortaliūm jubilationem hanc  
Domini & Amicorum ejus, Sponsi  
ac Sponsæ capere , vel exponere  
queat ? Cur igitur inquis , dicun-  
tur è miseria , è captivitate , ex in-  
ferno educti ? R. Imò , quia carcer  
ille ante Christi ad eos adventum  
merebatur ea nomina , néque post  
illum. 2dò , quia & illæ Patrum,  
secundūm suam naturam appete-  
bant ; & Domini potissimūm Anima  
suo debebat corpori restitui , jun-  
ctimque cum illo beari. 3tiò , ad  
locum quoque Redemptori suo , ac  
recuperatæ per eum felicitati con-  
gruentem , è corde terræ in cœlum  
tertium anhelabant.

Si quæras , cur sepultura Domini  
inter dolorosa , & descensus ad in-  
feros inter gloriosa ejusdem myste-  
ria ponatur à Symbolo ? R. Se-  
pulchrum ejus , ut & mors , factum  
quidem est gloriosum in mundo  
temporibus procedentibus ; at re  
ipsâ

ipsâ in se pœna erat & hominis,  
*mori*, & corporis, *sepeliri*: verūm  
anima Christi non ad supplicium  
persolvendum descendit ad infe-  
ros; non, ut reliqui Sancti, quō  
ibi opperiretur redemptionem suam,  
vel beatitudinem; quā jam à pri-  
ma sui creatione fruebatur: sed ut  
eam impertiret Patribus, ut eos  
Prophetas, & Præcursorum suos gau-  
dio impleret; ut è prima illa in  
limbo degustata gloria educeret ad  
majorem, quæ consurgentes in re-  
surrectione; ad maximam, quæ  
consedentes in ascensione ad cœ-  
lum, & conregnantes cum Rege,  
Capitēque suo manebat. Erat igitur  
in Limbo verè *inter mortuos liber:*  
operabatur ea, quæ gloriam spe-  
ctabant; initium quasi, & prælu-  
dium resurrectionis ponens.

§. II.

## §. II.

### De Resurrectione Christi.

**T**ertiâ die resurrexit à mortuis. Examinandum est primò , cur tertiat die : id enim & figuratum , & prædictum erat sæpius : semper ferè, cùm resurrexisse , aut resurrecturus dicitur , additur , tertiat die . Solvi te templum hoc , & in tribus diebus excitabo illud. Ipse autem dicebat de templo corporis sui. (a) quasi , Domine , nec uno vel diebus duobus excitare illud potuisses ; nec pluribus , quām tribus debuisses. Nemo tollit animam meam à me , sed ego pono eam à me ipso , & potestatem habeo ponendi eam , & potestatem habeo iterum sumendi eam. (b) Ponendi scilicet quando volo , sumendi rursus quo cunque tempore volo. Cur igitur non secundâ vel quartâ , sed tertiat die sumere voluit ? Quodsi à morte sua citius resurrexisset ; non fuisse verè mortuus , sed in speciem tan tum,

(a) Joan. 19. v. 19. &c. 21. (b) Joan. 10. 18.

tum, dici facilius potuisset : hinc  
& Ecclesia, inter mortem ac sepul-  
turam nostram, complures jubet ho-  
ras interponi : non iterum potui-  
set historia illa subsequi, ad prodi-  
giosam ejus resurrectionem ponde-  
ris maximi ; quam his verbis de-  
scribit S. Matthæus : Altera autem  
die, quæ est post Parasceven, convene-  
runt Principes Sacerdotum & Pharisæi  
ad Pilatum, dicentes : Domine recorda-  
ti sumus, quia seductor ille dixit adhuc  
vivens, post tres dies resurgam : jube  
ergo custodiri sepulchrum, usque in diem  
tertium, ne forte veniant discipuli ejus,  
& furentur cum, & dicant plebi, sur-  
rexit a mortuis ; & erit novissimus er-  
ror peior priore. Ait illis Pilatus, ha-  
betis custodiam, ite, custodite sicut scitis;  
illi autem abeuntes munierunt sepul-  
chrum, signantes lapidem, cum custodi-  
bus. (a) Si vicissim surrexisset tar-  
dius, morari tamdiu inter mortuos  
vitæ Auctorem, mortisque Trium-  
pha-

phatorem , extitisset inconveniens :  
hinc de die tertio non debebat plus  
esse , quām quod ad veritatem ex-  
plendam numeri requirebatur. Ne  
se Judæi non sat̄is diu vigilâsse , si  
post triduum surrexisset , putarent ;  
partem dici tertiæ maximam præ-  
venit. Tres horas humano generi  
ē cruce ; tres annos his , quibus-  
cum versatus in Judæa : tres dies  
mortuorum spiritibus in limbo præ-  
dicavit.

*Resurrexit à mortuis. Surrexit De-*  
*minus verè. (a) dicebant de illo di-*  
*scipuli : non igitur erat Resurrectio*  
*hæc tantum apparens , ut ejus ini-*  
*mici volebant ; sed ut mortuus ,*  
*ita & surrexit verè , néque phanta-*  
*sticè. Surrexit non iterum moritu-*  
*rus , ut Lazarus nuper ab eo resu-*  
*fcitatus ; mors enim illi ultrà non do-*  
*minabitur : Surrexit non in mortali*  
*corpore , in quali natus erat ē Vir-*  
*gine ; sed in imortalī & glorioſo ,*  
qua-

quale ante illud nullum extitit , in  
quali post illum , & per illum , electi  
omnes surrecturi ac futuri : ideò di-  
citur , *primogenitus mortuorum , primi-*  
*tiae morientium , primitiae dormientium*:  
ideò resurrectio illius , est nostra  
resurrectio , est causa , spes , exem-  
plum resurrectionis nostræ : quam  
nemo , ut olim Paulo Atheniensi-  
bus prædicante , irrideat ; qui re-  
surrectionem ejus verè crediderit.

*Reformabit corpus hamilitatis nostræ ,*  
*configuratum corpori claritatis suæ. (a)*  
Corpus itaque & anima illa sanctissi-  
fima , duo Divinitatis tabernacula ,  
ab hac nunquam , ab invicem tum  
ad breve tempus sejuncta , sunt in-  
ter se rursus unita ; non amplius in  
æternum divellenda . In Scripturis  
& resurrexisse à mortuis , & à Deo  
suscitatus esse legitur : Lazarus ex-  
citatus est à Deo , sed non surre-  
xit virtute suâ propriâ , non se ipse  
ut Christus excitavit : de Domino  
est

(a) Philip. 3. 22.

est utrumque verissimum : nam & surrexit per suam propriam virtutem , quia Deus ; & quia homo suscitatus est a Deo , sed non a belo Deo , quam a se ipso . O magnum verae Domini nostri Divinitatis argumentum ! si per se ipse surrexit , ergo vixit , cum resurrecturus erat ? ergo cum secundum humanitatem mortuus fuit , habere necessariò debuit aliam præterea naturam , quæ viveret etiam tum , ac potestatem haberet illam excitandi humanitatem ; hoc est , habuit naturam Divinam . Solius Dei est suscitare mortuum . Nam , ut quis viventium , alteri mortuo vitam , Divinâ virtute sibi communicatâ restituat ; id fieri potest : ut vero se quis ipse a morte suscitet , id a nullo puro homine fieri ullam ratione , nec intelligi potest . Quid evidentius ? Negas Christum per se ipsum resurrexisse ? at quantis id liquet testimoniis ? Multò saepius surrexisse , quam

quam excitatus esse legitur. Om-  
nium clarissimè, dicebat ipse : Sol  
vite templum hoc , & excitabo illud  
potestatem habeo ponendi animam me-  
am , & potestatem habeo iterum sumen-  
di eam. Quid? quòd etiam inde,  
quòd à Deo excitatus esse scribitur,  
vera illius Divinitas certò colligi-  
tur? si enim suscitatus est secundùm  
tot suas servorumque Dei prædi-  
ctiones; homo fuerit sanctus, ve-  
rax, Deo dilectus, necesse est: ergo  
fuit Deus, quem se totâ vitâ præ-  
dicabat; occisus propterea, quòd  
Deum, Deique se Filium naturalem  
fecisset: si porrò Deus non fuit; im-  
postor, mendax, blasphemus, ar-  
rogantissimus bipedum omnium, à  
Caipha & Pilato condemnatus ju-  
stissimè, non resurrectione vitâque  
in cœlo immortali, sed æternâ mor-  
te ac tartaro dignissimus ( quæ vel  
cogitare nefas ) fuerit oportet.  
Aut hominem injustum & conse-  
leratissimum, aut Deum fuisse ne-

ga. Hoc significabant verba Centurionis, & eorum, qui cum coerant, à duobus relata Evangelistis, expirante in cruce Salvatore pronunciata: *Verè Filius Dei erat iste*, inquit S. Matthæus; *Verè hic homo justus erat*, inquit S. Lucas. Alterum horum ex altero necessariò conficitur.

Resurrexit à mortuis, in eadem quoad substantiam carne, in eadem natura humana; sed mirabiliter immutata. *Mysterium vobis dico: omnes quidem resurgentur*, sed non omnes immutabimur, ajebat Apostolus: (a) boni juxta & mali resurrecturi in die judicii; sed mali à morte prima ad secundam atque æternam, à vitæ caducæ miseriis ad sempiterna tormenta resurrecturi, atque adeò non immutandi; quorum prepterea resurrectio, nomen istud propriè non meretur: boni contrà unum Christo Duce suo immutati resur-

surgunt ; quia corpus eorum surgit  
gloriosum , non ad pœnam , sed vi-  
tam & gloriam. Si quænam sit  
corporis hujus , & quæ fuerit cor-  
poris Christi resurgentis gloria , &  
immutatio quæras : R. breviter ,  
quatuor dotibus comprehendendi eam  
à Theologia Christiana. Prima vo-  
catur *incorruptibilitas* , vel prout  
Scholæ loquuntur *impassibilitas* ; per  
quam malum omne amovetur à cor-  
pore glorioso , fames , sitis , frigus ,  
morbis , mors. 2da *claritas* : erit  
enim omni sole clarius ; pulchritu-  
dine , quam non vidit , nec morta-  
lis per se oculus videre potest re-  
splendens. 3tia *subtilitas* , vi cuius  
corpora quælibet penetrare potest  
beati corpus ; nihil est , quod illi  
resistat , nihil non permeabile. 4ta  
*agilitas* , ut sine omni fatigazione , in  
ictu oculi , ab uno loco in alium ,  
etiam remotissimum transire possit.  
Duo posteriora motum propriè bea-  
torum corporum ; duo autem prio-

ra spectant statum ipsorum, ut in se  
sunt. Hæ quatuor dotes colligun-  
tur è sancto cum primis Paulo : Sie  
& resurrectio mortuorum, ait ille,  
seminatur in corruptione, surget in incor-  
ruptionem : seminatur in ignobilitate,  
surget in gloria : seminatur in infirmi-  
tate, surget in virtute : seminatur cor-  
pus animale, surget corpus spiritale. (a)  
Si est corpus animale, surget corpus spiri-  
tale : sicut scriptum est : factus est pri-  
mus homo Adam in animam viventem,  
novissimus Adam in Spiritum vivifi-  
cantem. Haec tenus ille : non quod  
corpus gloriosum in naturam verè  
Spiritū (ut ineptiebant nonnulli)  
sit transformandum ; verum quod  
in dotibus suis simile sit futurum  
Angelis. Erunt sicut Angeli Dei, aje-  
bat Salvator ; non autem, erunt An-  
geli Dei : Dominus quoque à morte  
nos liberavit, ut & vitâ donavit,  
non corporali, ut Adam primus;  
at spiritali & sempiternâ, quæ non

f

præ-

(a) 1. Cor. 15.

præsentis, sed est futuri seculi. Has  
ipsas corporis glorioſi quatuor præ-  
rogativas, verbo illo Propheticō  
S. Bonaventura exprimi notat acutē:  
*Fulgebunt justi, & tanquam scintillæ in*  
*arundineto discurrent.* (a) *Nam in ful-*  
*gore, inquit, claritas; in justitia im-*  
*passibilitas, quia justitia est perpetua*  
*& immutabilis; in scintilla subtilitas*  
*in discursu agilitas significatur.* (b)

Propter hanc immutationem cor-  
poris in gloria resurgentis, dicitur  
hæc **resurrectio**, nova nativitas, &  
regeneratio, phrasī à Dōmino ac-  
ceptā: *In regeneratione cūm federis*  
*Filius hominis in sede Majestatis suæ; se*  
*debitis & vos super sedes duodecim, judi*  
*cantes duodecim tribus Israël.* (c) *In*  
*regeneratione, hoc est, resurrectione*  
*gloriosa in die judicii futura: 8*  
*quamvis vocetur etiam justificatio*  
*nōstra, ut alibi dixi, regeneratio*  
*ea tamen mystica est, non corpora*  
*lis.*

(a) *Sap. 3. 7.* (b) *Bonav. in 4. dist. 49. p. 2. a.*  
*q. 1.* (c) *Mattb. 19. 28.*

lis; resurrectio verò hæc, ipsius est  
renovatio corporis: de qua Salva-  
tor per Psalmistam: & refloruit,  
inquit, caro mea: (a) Ilbi obser-  
vat bellè S. Ambrosius, non dici  
floruit, sed refloruit: nam & antea  
caro Christi florebat secundum ali-  
um Prophetam: Egredietur virga de  
radice Jesse, & flos de radice ejus ascen-  
det, (b) hinc Nazarenus, sive flori-  
dus erat dictus: verum flos hic fal-  
ce mortis resecitus, & in horto se-  
pultus, iterum, multoque amplius  
refloruit, cum redivivus de sepul-  
chro, gloriâ resurrectionis odorem  
pariter ac nitorem immortalitatis  
cunctis afflavit. Hæc ille. (c) Quam-  
obrem jure merito hæc resurrectio,  
tertia Christi nativitas à SS. Patri-  
bus vocatur; illa Patris ad Filium  
in Psalmo secundo verba solennia:  
*Dominus dixit ad me, Filius meus es  
tu, ego hodie genui te; non ad æter-  
nam modò Filii à Patre, & ad tem-*

poralem ejusdem Filii à Matre generationem ; sed etiam ad regenerationem in resurrectione factam , applicantibus : imò locum illum Psalmographi , præcipue in hanc quadrare , observant Interpretes ; & huic à S. Paulo esse accommodatam, ad Antiochenos verba faciente : *Nos vobis , inquit , annuntiamus eam , quæ ad Patres nostros re promissio facta est : quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris , resuscitans JESUM , sicut & in Psalmo secundo scriptum est : Filius meus es tu , ego hodie genui te.* (a) Quasi ~~te~~ hodie , ter diceretur : primùm ab æterno in æternum ; iterum die Natalis , denique Resurrectionis Domini . Ego hodie suscitans , genui te denuò ; nam de novo animam corpori tuo univi , corpori quasi novo , nam mirè immutato ; in novam cāmque immortalem & gloriosam vitam , in seculum mundūmq; novum ~~te~~ rursus produxi . Hoc admirabi-

li

(a) Act. 13. 32.

li die, *Dixit Dominus pisci*, & evo-  
muit *Jonam* in aridam. (a) Quam  
Jonæ figuram, S. August. Symbolum  
hoc, quod tractamus explicans Ca-  
techumenis, (b) ad Salvatorem  
transfert eleganter. 1mō. Mittitur  
Jonas in civitatem Niniven; Chri-  
stus in mundum. 2dō. Fugit ille in  
Tharsis; hic exultavit ut Gigas ad  
currendam viam. 3tō. Ascendit  
ille navem; hic lignum crucis. 4tō.  
Est in illum maris; est in istum com-  
mota Judæorum tempestas. 5tō.  
Data est sors super illum; sed & su-  
per hujus vestimenta. 6tō. Ejectus  
ille in mare; hic in fauces mortis.  
7mō. Custoditus ille in bestiæ vi-  
sceribus; illæsus iste in sepulchro,  
& inferis. 8vō. Illius è ventre pi-  
scis oratio, hujus de ventre inferi  
(ut loquitur Scriptura) (c) clamo-  
res ad Patrem repræsentat. 9nō.  
Tertio die Propheta est incolmis  
redditus littori; Christus vitæ. 10.

f 3

Ad

(a) *Jon. 2. 11.* (b) *Cap. 6.* (c) *Jon. 2. 3.*

Ad prædicationem Jonæ, civitas Ni-  
nive per pœnitentiam liberata; in  
nomine JESU prædicantibus Apo-  
stolis pœnitentiam, Jerusalem,  
mundusque salvatus.

*Resurrexit à mortuis. Aliqua hujus  
Resurrectionis adjuncta perstringa-  
mus. Patrum animas è Limbo edu-  
cens omnes, cum triumpho surgit  
Salvator: qualiter? hoc, ut ineffa-  
bile scriptum non est; prout nec  
quemadmodum sit incarnatus, cor-  
pusque illi primò aptatum, legi-  
mus. Terræ motus factus est magnus,  
et sepulchrum. Angelus enim Domi-  
ni descendit de cælo, & accedens revol-  
vit Lapidem, & sedebat super eum:  
erat autem aspectus ejus sicut fulgur, &  
vestimentum ejus sicut nix. Præ timo-  
re autem ejus exterriti sunt custodes, &  
facti sunt velut mortui: qui mortuum  
custodiebant. Respondens autem An-  
gelus, dixit Mulieribus: Nolite timere  
vos, scio enim, quod JESUM, qui cru-  
cifixus est, queritis. Non est hic: sur-*

rexit enim sicut dixit : venite, & vide-  
te locum &c. (a) Hæc est omnis Do-  
minicæ Resurrectionis historia.  
Quæ moriente Conditore suo con-  
dolens, surgente quoque applau-  
dens, terra mota est , & quidem mo-  
tu magno. Angelum venisse nolim  
existimes , ut exire de monumento  
Dominus posset ; non ille , non cor-  
pus gloriosum his egebat ad sur-  
gendum adjumentis : nam pene-  
trans sepulchrum immotum , ut de-  
cent SS. Patres , sigillo Judæorum  
inviolato exivit : fuerunt hæc , quæ  
legimus , Resurrectionem illius con-  
sequentia magis , quam anteceden-  
tia ; atque ad exterrendos adver-  
sarios , ad pias Mulieres invitandas ,  
ad docendos nos , & id , quod fa-  
ctum erat , tantummodo contestan-  
dum patrata. Cum Christo , Pa-  
trum quoque Sanctorum animæ  
multorum ( non ausim dicere om-  
nium , cùm id nec in Scriptura , nec

in Doctoribus legam ) suis sunt re-  
stitutæ corporibus , conglorifica-  
tis Redemptori suo , & configuratis  
corpori claritatis ejus : omnes au-  
tem illi Sancti , tam qui cum carne  
resurgebant , quam qui sine illa ,  
sunt cum Domino in terra usque  
ad ejus Ascensionem , modo non  
terreno conversati. *Monumenta*  
*aperta sunt , & multa corpora Sanctorum , qui dormierant , surrexerunt , & exentes de monumentis post resurrectionem ejus , venerunt in sanctam Civitatem , & apparuerunt multis.* (a) Hi  
primi testes , ac præcones Resurrectionis præsentis , qui futuram tanto antè crediderant , ac figurabant.  
Jam vero , utrum corpora Patrum istorum , ascenderint in cœlum , sintque ibi nunc cum Christo , an non ; difficilis est quæstio : credunt non pauci gravésque Authores , relictis in terra corporibus suis , solas Ascendentem in cœlum co-  
mis.

(a) *Matth. 27. 53.*

mitatas esse animas ; negantes ul-  
lum in cœlo esse hominem , futu-  
rūmque ante diem judicii cum suo  
corpore , præter Christum , & Bea-  
tissimam Virginem : in quam sen-  
tentiam verba etiam quædam Apo-  
stoli (a) volunt interpretari. Alii  
contrà , quæ ferè probabilior &  
communior opinio , existimant di-  
ci non posse , ut beatarum Anima-  
rum corpus resurgat nisi gloriosum;  
nisi ab anima , gloriáque nunquam  
avellendum. Itaque dicunt hæc ,  
quæ surrexerunt cum Salvatore  
corpora , in cœlum cum eodem  
ascendisse ; secùs néque vera illorum  
fuisset resurrectio : singulare pro-  
inde illud corporis Christi , & Bea-  
tissimæ Virginis privilegium expli-  
candum esse , comparatè ad justos  
novæ legis , qui post resurrectio-  
nem illius dcfuncti sunt. Quid ?  
quòd Patribus veteribus , hoc de-  
cus indulgendum , corum expecta-

cio diuturna quodam modo compensanda , & solennitas Resurgentis , atque Ascendentis cohonestanda , videbatur desiderare ? At si multa , néque omnia Sanctorum corpora surrexerunt ; quorum præ cæteris ? varii de hoc varia : quis certum aliquid ? Salvatoris typos , cognatos , & ei quoquo modo propiores , figuræ item Resurrectionis , reliquis plerique anteponunt : néque iis admiscendos putant eos , quorum veras reliquias corporis habemus , ac veneramur in terra ; siquidem in resurrectione ne capillus quidem de capite nostro peribit . At non multùm refert beatæ animæ , cum corpore an absque illo sit in cœlo ; cum Dei sui voluntate , in ea re se nullo negotio conformantis.

Tempus Resurrectionis si attendas , fuit primùm in vere : ut quæ pars anni , mundi conditi ; eadem reparati , ac redempti foret exordium : ut resur-

surrectionis hujus faciem aliquam  
ipsis tum oculis nostris cernere pos-  
semus. Nam in vere , terra semi-  
náque terræ injecta , & ibidem de-  
mortua, plantæ arborésque revire-  
scunt, ac reflorescunt ; vigorem  
spiritúsque novos sumunt animan-  
tia ; mundus quasi per hyemem se-  
pultus, iterum renascitur : qua in  
imagine naturæ quotannis exhibi-  
ta , Patres Salvatoris, nostrámque,  
qui salvati sumus , resurrectionem  
speculantur. Resurrexit iterum die  
Dominico , dierum omnium pri-  
mo : nam ultimus erat Sabbathum,  
in quo ab opere sex dierum re-  
quievit Creator. Primo die , quo  
Trinitas beata mundum condidit , vel  
quo resurgens Conditor nos morte victi  
liberat , pulsis procul torporibus surga-  
mus omnes ocyus , & nocte quaramus  
Deum, Propheta sicut præcipit : canit  
Ecclesia in Matutino Dominicæ.  
Ivisse mulieres legimus in Evange-  
lio, ad sepulchrum , corpúsque ibi

Divinum non reperisse , ( hoc est  
resurrexisse Christum , nec enim id  
verbis describitur aliis ) *in prima*  
*Sabbathi : unâ Sabbathorum : unâ Sab-*  
*bathi.* Sabbathum ab Hebræis non  
solum dies septima , sed etiam ipsa  
hebdomada vocabatur ; imò &  
quilibet dies , cum hac adjectione,  
quòd prima Sabbathi , dies Domi-  
nicus , 2da Sabbathi dies Lunæ ,  
3tia Sabbathi dies Martis , & sic dein-  
ceps diceretur : quomodo Ecclesia  
feriam secundam , tertiam &c. no-  
minat : *unus pro eodem ac primus*  
*accipitur.* Ergo resurrexit Domi-  
nus *unâ* vel *primâ Sabbathi* , hoc est ,  
primo die hebdomadæ : *unâ Sabbathorum* ,  
hoc est , *primâ dierum*  
*septem* : quæ *omnia* unum eun-  
démque diem Dominicum signifi-  
cant. Hic est ille Resurrectionis  
dies , dierum omnium à condito  
mundo usque ad ejus consumma-  
tionem princeps , quo die *lapidem*  
*queos reprobauerant*, hic factus est in ca-

*put Anguli*, ut eanebat David in  
Psalmo 117., qui totus hujus est  
argumenti, exclamans inter cætera:  
*Hæc est dies, quam fecit Dominus, exulta-*  
*temus & letemur in ea*: hic dies est  
à Christianis, hujus mysterii hono-  
randi causâ, Dominicus, vel dies  
Domini nuncupatus: à Gentilibus  
dies solis; quasi solem aliquando  
in eo nobis oriturum, inscientes por-  
tenderent. Hoc in die Redemptor  
noster, gloriam corporis sui, nomi-  
nisque exaltationem, sive Divinæ  
suæ Majestatis ostendendæ potesta-  
tem plenam, à Patre obtinuit: ideo  
*data est mihi*, ajebat postquam sur-  
rexit, *omnis potestas in cœlo & in terra:*  
ideo Judex & Dominus noster scribi-  
tur hodie constitutus; *Dignus esse cla-*  
*matur Agnus, qui occisus est, accipere*  
*virtutem, & divinitatem, & sapien-*  
*tiam, & fortitudinem, & honorem,*  
*& gloriam &c.* (a) quæ cuncta ha-  
buit ab Incarnatione sua, re ipsâ; sed  
eo-

eorum usum , ac manifestationem  
in istud reservatam tempus , unâ  
cum corporis gloria , morte suâ  
etiam promereri voluit. In hujus  
triumphum & venerationem diei ,  
cultum in lege veteri exhibitum  
Sabbatho , converterunt Apostoli  
post Spiritûs sancti adventum ( sinè  
dubio è Magistri sui , sanctique Spi-  
ritûs mandato , quamvis illud scri-  
ptum non sit ) in cultum Domini-  
cæ , sublato cultu Sabbathi : ita ut  
Christianorum Sabbathum , dies  
esset Dominicus ; cuius antiquum  
Sabbatum figura extitisset. Quid  
enim erat quæso illud ? dies septi-  
mus , quo ab opere sex dierum , fa-  
bricâ mundi consummatâ , requie-  
vit Deus , suo se oblectans labore :  
propterea illud Judæis , solenni re-  
ligione colendum præscripsit. Hæc  
*autem omnia in figura contingebant il-*  
*lis.* (a) Veritatem intuere. Dies  
Resurrectionis quid est , nisi dies ,  
quod

(a) 1. Cor. 10. II.

quō post suos 34. annorum labores, quibus mirabiliter conditum, mirabiliūs reformavit Salvator mundum, requiescere incepit; ut à diluvio arca *mense septimo*, *vigesimo septimo die mensis*, super montes Armeniae:  
(a) quo implevit Scripturam, in qua dicebat: *Mibi curvabitur omne genu, jurabit omnis lingua.* (b) Quare hunc diem, ut verum, sanctiusque, & Christianorum Sabbathum, in illius veteris loco, à nobis celebrandum decrevit; ad assiduam sui, à tantis operibus tanta cum gloria requiescentis, memoriam recolendam. Et benedixit diei *septimo*, & sanctificavit illum: quia in ipso cessaverat ab omni opere suo. Atque hoc fuit primum à Spiritū sancti adventu, sive ortu Ecclesiæ Christianæ, in ea festum institutum; ut & Sabbathum, primum inter omnia festa erat Synagogæ. Quidni hunc diem Resurrectionis suæ honorare voluit

Do-

(a) Gen. 8. 4. (b) Is. 45. 24.

Dominus; cùm & nasci voluit, &  
Spiritum sanctum misit die Domi-  
nico? quo etiam die Pascha semper  
& Pentecosten celebramus; à Pa-  
schæ die, quod maximum nostrum,  
festumque, ut vocant Patres, fe-  
storum est<sup>1</sup>, reliqua mobilia festa  
calculantes: ob quod tanto studio  
curatum semper ab Ecclesia, ut  
dies Paschæ ante omnia ritè quot-  
annis poneretur, & observaretur.  
In Paschæ festo manipulus spica-  
rum novarum, in Pentecoste panes  
novi offerebantur Deo; quid aliud  
quām Christum resurgentem, mis-  
sūmque Spiritum sanctum figuran-  
tes? Diebus Dominicis à jejunio  
abstinere, stantesque orare solitos,  
ad sanctam exhibendam lætitiam,  
Christianos, commeminit S. Augu-  
stinus, imò & Tertullianus, ac pas-  
sim alii. *Unâ Sabbathi*, cùm conve-  
niissimus ad frangendum panem. (a)  
*Per unam Sabbathi unusquisque vestrum*

*apud*

(a) *Aet. 20. 7.*

apud se seponat. (a) Ego Joannes fui in  
Spiritu in Dominica die. (b) Verbo  
jam Hebraico, jam Christiano, diem  
hunc venerantes audi Apostolos.  
Postremò si horam , partémq; dici,  
quâ resurrexit , quæras ; nec de hac  
quidquam , præterquam è præfata  
Mulierum historia scire possumus.  
Matthæus ait , eas ad sepulchrum  
venisse vespere Sabbathi , quæ lucescit in  
prima Sabbathi : Marcus, cùm transisset  
Sabbatum , valde manè , unâ Sabba-  
thorum , orto jam sole : Lucas, Unâ  
Sabbathi valde diluculo : Joannes, Unâ  
Sabbathorum manè , cùm adhuc tene-  
bræ essent. Quæ si bene observas ,  
& ut SS. Doctores concordant; resur-  
rexit Christus nocte diei Dominicæ  
mediâ jam exactâ , diéque oriente ,  
in aurora , vel diluculo , luce non-  
dum plenâ , lucente nihilominus :  
ut dies , noctesque tres , in corde  
terræ fuisse prædicari posset.

Re-

(a) I. Cor. 16. 2. (b) Apoc. 1, 10.

Resurrexit à mortuis. Addit Symbolum Missæ : secundum Scripturas. Sed etiam Apostolus : resurrexit tertius die secundum Scripturas. (a) quod licet cuilibet articulorum potuerit, non est tamen alteri adiectum : sine dubio , quia nullius magis quam hujus veritas est per Scripturas testata : nullius mysterii fidem voluit æquè inculcari mundo Deus, atque istius : nihil perinde intererat Christianæ religionis, credi & prædicari , ac Resurrectionem Christi. Hinc est custoditum ab ipsis Judæis, & Gentilium militibus sepulchrum ejus : Signatus lapis annulo vel urbis Hierosolymæ , vel summi Judæoruni Concilii : sic enim & Daniele in lacum leonum misso , allatus est lapis unus , & positus est super os laci , quem obsignavit Rex annulo suo, & annulo optimatum suorum. (b) Nicephorus præterea , & Beda de locis sanctis, tradunt, Judæos utrumq; se-

(a) 1. Cor. 15. 4. (b) Dan. 6. 17.

sepulchri lapidem perforasse , &  
vinculo ferreo constrinxisse. (a)  
Quis igitur sanæ mentis cogitare po-  
tuit, quod furati sunt Discipuli eum,  
& dixerunt plebi , surrexit à mortuis ?  
fecisse hæc Judæos , ut diligentia eo-  
rum nostræ fidei proficeret , inquit S.  
Hieronymus. Hinc apparuit post  
resurrectionem toties , tótque suo-  
rum discipulorum ; imò visus est plus  
quādī quīngentis fratribus simul. (b)  
Hinc palam omnibus , summâ luce  
ascendit in cœlum. Hinc come-  
disse cum eis , & convescens pal-  
pandum se præbuuisse scribitur ; ma-  
nus , pedes , latus suum , & fixu-  
tum clavorum , ac foramen lateris.  
Hinc labi permisus in incredulita-  
tem Thomas : non hoc casu , sed Di-  
vinâ dispensatione gestum est : plus enim  
nobis Thomæ infidelitas , quādī fides  
credentium Discipulorum profuit. in-  
quit S. Gregorius. Hinc Apostoli  
testes Resurrectionis , speciatim vo-  
ca-

(a) Niceph. l. 1. 32. (b) l. Cor. 15. 6.

cati ; quasi unum hoc testari debuissent , vel eo solo testato firma omnia essent mansura. Oportet aje-  
bant in locum Judæ alium electu-  
ri , *testem* Resurrectionis ejus nobiscum  
fieri unum ex iis. (a) Si Christus non  
resurrexit , inquit Paulus , *inanis est*  
*ergo prædicatio nostra , inanis est & fi-*  
*des vestra , adhuc enim estis in peccatis*  
*vestris.* (b) Profectò si Christus non  
resurrexit , in eodem cum Magi-  
stro suo tumulata jacet sepulchro ,  
fides ac religio Christiana. Verùm  
omnium elegantissimè veritatem  
hanc , gloriāmque istius mysterii de-  
claravere Judæi , dicentes Pilato :  
si furati cum Discipuli è sepulchro ,  
plebi dixerint , surrexit à mortuis ;  
erit novissimus error peior priore. Error  
erat iis , quòd taliter conceptus ac  
natus ; quòd à venientibus ab O-  
riente Magis adoratus ; quòd cùm  
offerretur in Templo , à Sanctis tali-  
ter deprædicatus ; gladio Herodis

In-

(a) Act. 1. 22. (b) 1. Cor. 15. v. 14. § 17.

Infans creptus ; quòd duodennis  
in medio sedit Doctorum in Tem-  
plo, stupentibus omnibus super pru-  
dentiâ & responsis ejus ; quòd ta-  
liter baptizatus à Joāne ; quòd prædi-  
cavit triennio , ac patravit tanta ,  
ut nunquam sic locutus esse , nun-  
quam ea operatus homo credere-  
tur , quæ iste homo : quòd taliter  
passus , mortuus , sepultus , meri-  
erant magnique errores : at quòd  
tertiâ die , ut vivus prædixerat , re-  
surrexisse à mortuis prædicabitur ;  
erit novissimus error , prioribus om-  
nibus pejor , nec non priores om-  
nes corroborans inrisce , verbô  
mundum planè convincens . Au-  
diamus non Christianum , sed ho-  
rum ipsorum Judæorum historicum  
facile principem , de iisdem scri-  
bentem temporibus . Eodem , ait ,  
*tempore , fuit JESUS vir sapiens , si tamen  
virum eum fas est dicere : erat enim mi-  
rabilium operum patrator , & doctor  
orum , qui libenter vera suscipiunt ;*  
plu-

plurimōsque tam de Judeis , quam de  
Græcis sectatores habuit : Christus hic  
erat , quem accusatum à nostræ gentis  
principibus , Pilatus cùm addixisset cru-  
ci ; nihilominus non desliterunt eum  
diligere , qui ab initio cœperant . Ap-  
paruit enim iis tertiâ die vivus , ita , ut  
divinitus de eo vates hoc , & alia multa  
miranda prædixerunt : & usque in ho-  
diernum diem Christianorum genus ab  
hoc denominatum non deficit. (a)

Exurrexi , & adhuc sum tecum . Di-  
cit apud Psaltem Regium : (b) In  
Romano Psalterio legitur , Resurrexi ,  
& adhuc sum tecum . Quæ verba Ec-  
clesia , maximus Scripturarum in-  
terpres , ad Dominum resurgentem  
refert , ab iis incipiens Missam diei  
Paschæ . At quid singulare in ea  
vidit sententia ? Si fas est existima-  
re , multum omnino . Nam hu-  
manum genus eum interficerat ;  
sepultum , quod surgere minimè pos-  
set , tam studiosè custodiebat : di-  
sci-

(a) Joseph. l. Antiq. 18. c. 4. (b) Ps. 138. 18.

scipalorum unus in manus hostium  
tradiderat turpiter , alter negaver-  
rat ter ; omnes relicto eo, cùm com-  
prehenderetur , fugerunt ; qui cru-  
ce onustum sponte succollâsset suâ,  
nemo ex omnibus mortalibus erat :  
tamen nihilominus vîctor & trium-  
phator , resurrexi , ait , & adhuc sum  
tecum , ô homo , ô sponsa mea Ec-  
clesia ! meus in te amor per ista non  
refrixit , non est cum morte mea  
extinctus . Etsi resurgens continuò  
cœlum petere potuisset , suæque  
convenienter gloriae debuisset ; es-  
se adhuc ac manere internos , no-  
biscum conversari familiariter vo-  
luit , per dies quadraginta : usque in  
diem , quâ præcipiens Apostolis per Spi-  
ritum sanctum , quos elegit , assumpitus  
est . Quibus & præbuit seipsum vivum  
post passionem suam , in multis argu-  
mentis , per dies 40. apparens eis , &  
lo-  
quens de regno Dei : & convescens præ-  
cepit eis , &c. (a) De his Domini

ap-

(a) Act. x.

apparitionibus , & conversatione  
cum suis , à Paschæ die ad Ascen-  
sionem , per dies 40. Evangelistas  
consule. Primum & ante omnia ,  
( quod illi tacent , sed multi Patrum  
tradunt , pietásque Christianorum  
credit ) apparuit Matri Beatissimæ:  
ut quæ moriente Filio *Regina Mart*  
*tyrum* dici meruit , cuius animam  
doloris gladius pertransivit ; resur-  
gente , propter gaudii sui eminen-  
tiam , *Cælorum Regina* haberetur :  
atque ut sicut in Incarnatione , Na-  
tivitate , morte ; in resurrectione  
item illius , proxima inter omnes  
foret suo , JESU MARIA : Exhibu-  
erit crediderim , Matri Filius bea-  
tum captivorum chorūm , quos in  
cœlum ducebat ; ut & iis Dominam  
ipsorum : quò viderent Agnum  
juxtā , & vellus , quod Rorem adeò  
ab ipsis desideratum susceperebat.  
Visus est deinde secundūm ea ,  
quæ scripta sunt , ipso Resurrectio-  
nis die , primè Mariæ Magdalene , de  
qua

qua' ejecerat septem dæmonia : (a) ite-  
rum à sepulchro reducibus in via  
mulieribus : postea Petro : tum  
duobus in Emmaus euntibus : de-  
mum omnibus Apostolis absente  
Thoma : post diem Paschæ, ipsa in  
Octava hujus Thomâ præsente  
apparuit primùm cunctis Apostolis:  
secundò ad mare Tiberiadis septem  
Discipulis , in quibus Petrus &  
Joannes : tertio multis in monte  
Galilææ , imò plus quam 500. Fra-  
tribus simul : quartò Jacobo Fratri  
Domini : quintò Fidelibus omni-  
bus Ascensioni præsentibus : novis-  
simè autem omnium tanquam abortivo  
visus est & mihi , subjungit S. Paulus.

(b) *Quis dubitet apparuisse multò*  
*sc̄epius? sunt enim multa alia*, inquit  
Joannes , quæ fecit JESUS , quæ non  
sunt scripta in Evangelio ; quæ , si  
scriberentur singula , mundus ca-  
pere non posset libros scribendos.  
(c) Jam verba illius dulcissima, qui-

g.

bus

(a) *Mar. 16.9.* (b) *I. Cor. 15.8.* (c) *Ioā. 20. 21.*

bus eos solabatur , & instruebat ;  
quibus ad Ecclesiæ administratio-  
nem præparabat , quis referat ?  
quot modis ingerebat veritatem suæ  
Resurrectionis , ne phantasma pu-  
taretur esse ? jam prandens cum il-  
lis ; tametsi nec appetere cibum ,  
nec eo nutriri corpus gloriosum  
posset : jam ostendens eis manus ,  
pedes , latus ; palpate & videte , in-  
quiens , quia ego ipse sum ; quia spiri-  
tus carnem & ossa non habet , sicut me  
videtis habere. (a) Quomodo autem  
palpari potuit corpus , quod erat  
incorruptibile ac subtile , quod cor-  
pora penetrabat omnia ; quid mul-  
tis disputem ? Dico brevi , glorio-  
forum corporum hanc esse dotem  
liberam ; ut si volunt videri queant , si  
nolunt , sint nobis invisibilia : pariter  
ut non palpentur si volunt , si autem  
volunt , palpari possint. Certò &  
claritate gaudent ; eam nihilomi-  
nus non ostendit Salvator Discipu-  
lis

(a) *Luc.* 24.

lis toties apparens ; nisi fortasse  
Matri suæ. *Quod vidimus oculis no-*  
*stris, & manus nostræ contrectaverunt,*  
*annuntiamus vobis*, scribebat , quem  
diligebat JESUS. (a) Non audis  
porrò , non legis ullibi , quòd Re-  
surgens verbo illos allocutus dñ-  
riori ; quòd aliquod delictorum  
præteriorum objecerit : sed ut illi-  
ius olim figura , elevans vocem ,  
quam audivit omnis Domus Pha-  
raonis : *Ego sum* , ait , *Joseph Frater*  
*vester* : *ego sum* , *nolite timere* , néque  
*vobis durum esse videatur* , quòd vendi-  
distis me : *pro salute enim vestra misit*  
*me Deus*. *Accedite ad me* : *osculatusq; eis*  
*Joseph omnes fratres suos*. Iterum,  
cùm delicti conscientia eos nihilo-  
minus metuentes morderet : *Noli-*  
*te* , ait , *timere* : *num Dei possumus re-*  
*sistere voluntati* ? *vos cogitastis de membra-*  
*lum* , sed Deus vertit illud in bonum ;  
ut exaltaret me , sicut in præsentiarum  
eernitis , & salvos faceret multos popu-

tos : nolite timere , ego pascam uos :  
consolatusque est eos , & blandè ac leni-  
ter est locutus. (a) Non advertis Chri-  
stum JEsum magis , quām Josephum  
hīsce verbis descriptum ? Atque  
hæc fuit conversatio Domini post  
Resurrectionem cum suis , per dies  
40. non continuè , sed per vices &  
interpolatè iis apparentis. At cur  
per quadraginta dies ? ut 40. hora-  
rum absentiam , à morte usque ad  
resurrectionem compensaret , in-  
quit Gloffa : adde , ut quot diebus  
egit Moyses cum Deo in Sina , dum  
legem ab eo acciperet ; totidem  
ageret Petrus , cæterique Discipu-  
lorum cum Christo glorioso , appa-  
rente iis , & loquente de Rēgnō Dēi :  
hoc est , de Ecclesia triumphante ,  
ac militante : his enim diebus do-  
cuit eos ea , quæ non dixerat an-  
tea ; quæ non erant in Divinis li-  
bris expressa perspicue , vel expri-  
menda : tradidit veluti gallina pu-  
lis , cibum nobiscum per eos com-

(a) Gen. c. 40. § 50.

muni-

minicandum ; de sensu Scriptura-  
rum, de Sacramentis, eorumque ma-  
teria, forma, ritu; de Missæ Sacri-  
ficio; de signo Crucis, de jejuniø  
quadragesimali; mysteriis denique  
omnibus, & officiis Christianæ Reli-  
gionis : quæ ab ore Domini acce-  
pta, tradiderunt per manus Apo-  
stoli posteris, & hi suis Successori-  
bus. Hæc est Patrum veterum, ac  
Theologorum communis doctrina.

Ad extremum, in codem Missæ  
Paschalis principio, adjicit ex eo-  
dem Psalmo Ecclesia, verba illa Fi-  
lli ad Patrem : *Tu cognovisti sessionem*  
*meam, & Resurrectionem meam :* è qui-  
bus insigne documentum possimus  
haurire : nimirum conjungendam  
esse cum meditatione gloriæ Do-  
minicæ cogitationem Passionis,  
quam sessio significat juxta SS. Pa-  
tres, hoc in loco : situs enim est  
corporis humilior; verbum illius  
aptissimum Passioni, quæ sessioni,  
quam morti erat affinior; quia ex

ea surgere, cùm volebat poterat vi-  
ribus suis, nemine alio adjuvante,  
vel excitante. Idem faciendum  
docent nos, & ejusdem Psalmograp-  
hi, & aliorum facrorum Scrip-  
torum textus innumeri: *Ad vespe-  
rum demorabitur fletus, & ad matuti-  
num lætitia. Convertisti planctum me-  
um in gaudium mihi: conscidisti saccum  
meum* ( pretio inde, quo empti fu-  
mus magno, effuso ) & circumdedi-  
xi melasitia. (a) *Hæc oportuit pati Chri-  
stum, & ita intrare in gloriam suam.*  
(b) *Si commortui sumus, & convive-  
mus: si sustinebimus, & conregnabi-  
mus.* (c) *Si tamen compatimur, ut &  
conglorificemur:* (d) *Scientes, quod  
sicut socii passionum estis, sic eritis & con-  
solationis:* (e) *Mortificationem JESU  
in corpore nostro circumferentes, ut &  
vita JESU manifestetur in corporibus no-  
stris.* (f) *Communicantes Christi passio-  
nibus*

(a) Ps. 29, v. 6. & 10. (b) Luc. 24. 26. (c) 2.  
Tim. 2. v. 11. 12. (d) Rom. 8. 17. (e) 2. Cor. 1.7.  
(f) 2. Cor. 4. 10.

*nibus gaudete , ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.* (a) *Meditatio gloriæ , ne in tribulationibus deficiamus ; passionis , ne in gaudio nimium extollamur ; néve aliâ quam viâ crucis quærendam , nec in hac possidendam vita gloriam judicemus , efficit : conjunctâ utrâque , Capiti nostro plenè conformes sumus.*

### §. III.

## De Articulo sexto.

*Ascendit ad Cœlos.*

**A**Scendit è monte Oliveti , ut constat ex Actis Apostolorum. (b) Congruebat omnino , ut unde ad passionem ac mortem , inde iret ad cœlum. Priùs , quam ascenderet , eduxit autem eos foras in Bethaniam , inquit Evangelista : (c) Si eduxit , ergo priùs iis in loco ali-

g 4

quo

(a) 1. Pet. 4. 13. (b) Act. 1. 12. (c) Luc. ult. v. 5.

quo apparuit ; unde cum iis processit foras in Bethaniam , ( charum sibi hospitium , Castellum Marthæ , Mariæ , Lazari , ad latus montis Oliveti situm ) atque inde in montem , locum Ascensioni destinatum . Hinc est communis opinio , Dominum suis quadragesimo à Resurrectione die , feriâ quintâ in Jerusalem apparuisse , congregatis ad tempus prandii : imò non pauci eam à S. Marco relatam apparitionem , quam Ecclesia in Festi hujus Evangelio prælegit in Missa ; hanc faciunt . In Jerusalem itaque , in eodem ut est probabile cœnaculo , in quo bis illis , primo & octavo Resurrectionis die , absente , præsentéque Thomâ visus fuerat , postremò apparet : educit à prandio , per medium civitatem , palam , suorum omnes , qui convenerant ; à nemine ut credibile , præterquam ab iis , vel cognitus vel visus : sic enim & Joseph fratribus se suis mani-

nifestans, præcepit ut egrederentur cum  
et i foras, & nullus interesset alienus  
agnitioni mutua. (a) Quàm alia ò  
Domine! hæc tua cùm tuis proces-  
sio è Jerusalem in montem Olive-  
ti; atque illa cùm carnificibus  
erat ante 42. dies, ex eodem mon-  
te in eandem civitatem, cùm liga-  
tus ut Agnus ad occisionem per  
easdem vias ducerêre! In itinere  
divertens modicè in Bethaniam,  
ibique ultimum salutans, ac secum  
educens Martham, Magdalenam,  
Lazarum, & cùm aliis pluribus,  
præque omnibus, ut est conjicere,  
Matrem suam dilectissimam; rectâ  
in montem Olivarum ejusque ver-  
ticem pergit. Quæ hîc, quæ per  
totum hoc iter à valedicentibus di-  
cta & acta, quis explicet? quæ ipsi  
reticenda putârunt Evangelistæ:  
nisi quæ Joānes potissimum alibi re-  
fert, huc transfers, vel hîc repeti-  
ta credis: *Vado ad eum, qui misit*

me. Expedit vobis ut ego vadam : si enim non abiero , Paraclitus non venies ad vos ; si autem abiero , mittam eum ad vos. Pater sancte serva eos in nomine tuo , quos dedisti mihi ; ut sint unum sicut & nos ! Sicut tu me misisti in mundum , & ego misi eos in mundum. Non pro eis autem rogo tantum , sed & pro eis , qui credituri sunt per verbum eorum in me : ut omnes unum sint , sicut tu Pater in me & ego in te , ut & ipsi in nobis unum sint. Pater quos dedisti mihi , volo , ut ubi sum ego , & illi sint mecum. Vado parare vobis locum. Filioli hoc est praeceptum meum , ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Vos amici mei estis : jam non dicam vos servos , quia omnia , quaecunque audivi a Patre meo , nota feci vobis. Si diligitis me , mandata mea servate. Non relinquam vos orphanos. Ego rogabo Patrem , & alium Paraclitum dabit vobis , ut maneat vobiscum in eternum. Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum. Si abiero , & preparavero vobis locum , iterum

sterum venio , & accipiam vos ad me ipsum , ut ubi sum ego & vos sitis. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.

Dominus quidem JESUS , postquam locutus est eis , assumptus est in cœlum , inquit S. Marcus : Lucas verò : & elevatis manibus suis benedixit eis. Et factum est , dum benediceret illis , recessit ab eis , & ferebatur in cœlum. Idem Lucas in Actis Apostolorum : Videntibus illis elevatus est , & nubes suscepit eum ab oculis eorum. O spectaculum inter omnia , quæ vidit , ac videbit mundus , longè tum jucundissimum , tum Augustissimum ! Christi ascendentis super omnes cœlos triumphus , quo ferebatur nunc , & feretur post secundum suum adventum , redditurus à judicio ad dexteram Patris ! nunc ascendens in altum captivam duxit captivitatem , Patrum omnium è limbo eductorum animas , vel etiam corpora multorum ex iis : tunc exer-

citum Angelorum , & Electorum  
omnium corpora & animas. Quid  
plura de infinitis , quæ afferri po-  
sent memorem ? Assumptus & ele-  
vatus est non alieno , non Angelico  
adminiculo ; sed suâ propriâ virtu-  
te , ac dote agilitatis suæ : non di-  
sparuit repente ut Henoch. (a)  
Non curru & equis igneis per tur-  
binem ascendit , Eliseo uno teste , ut  
Elias : (b) Non raptus ut Paulus  
se ipso insciente , qualiter : (c) Non  
clam oculis mortalium , ut Mater  
illius beatissima : non ascendit ,  
quod observat Cajetanus , gradiens ,  
pedémque post pedem movens ;  
quali motu , ut quò vult perveniat ,  
gloriosum corpus non eget : sed to-  
to simul elevatus corpore sensim ,  
ac lentè ferebatur ; quo pasceret  
diutiùs oculos eorum , quos dili-  
gebat , non ipsum ampliùs in terra  
visuros : nam quòd paulatim pro-  
movebatur , verbum ipsum ferebatur

vi-

(a) Gen. 5. 24. (b) 4. Reg. 2. 11. (c) 2. Cor. 12.

videtur indicare. Ibat videntibus,  
qui aderant , omnibus : quibus ?  
aut plus quam 500. Fratribus simul,  
qui eum in monte Galilææ vide-  
rant ; aut saltèm his , qui scribun-  
tur reversi Jerusalem à monte Oli-  
veti , expeßtasse in cænaculo adven-  
tum Spiritus sancti : Apostoli , cum  
mulieribus ac MARIA Matre JESU ,  
& Fratribus ejus , turba hominum si-  
mul ferè centum viginti. (a) Ibat sicus  
Aquila provocans ad volandum pullos  
suos , & super eos volitans , expandit  
alas suas , & assumpsit eum , atque por-  
tavit in humeris suis. (b) Dicitur eos ,  
& eum , jam in plurali , jam in sin-  
gulari numero : ut advertas tanti  
Domino fuisse quemlibet nostrum  
seorsim , quanti omnes simul ; quæ  
omnium causâ fecit , facere paratus  
pro quolibet solo. Assumpsit ge-  
nus humanum , dum carnem , no-  
stramque naturam ad dexteram Pa-  
tris collocavit : portavit pastor bo-  
nus

(a) Act. 1. (b) Deut. 32. 11.

nus ovem , quam perdidera t , quæ  
sitam , & inventam , in humeris suis ;  
convocatis dicens Cœlitibus : con-  
gratulamini mibi , quia inveni ovem  
meam , quæ perierat . (a) Quatuor  
erant Ezechieli s animalia : quatuor  
facies uni : facies hominis , facies leonis ,  
facies bovis , facies aquilæ ; (b) totum  
hoc simul nobis est Christus , inquit  
D. Gregorius , quia & nascendo  
homo , & moriendo vitulus , & re-  
surgendo leo , & ad cœlos ascen-  
dendo aquila factus est . A meri-  
die Adam expulso amisimus Para-  
disum : à meridie novo Adam in  
cœlum ascendent e recuperavimus  
eum . Vespere & manè & meridie  
narrabo , & annuntiabo . (c) Vespe-  
re Dominus in passione , manè in  
resurrectione , meridie in ascensio-  
ne : ut explicat S. Augustinus , plu-  
résque Sanctorum : eâ re , tribus  
his temporibus ad orandum nos ex-  
citat pulsu æris campani Ecclesia .

Ja-

(a) Luc. 15. (b) Ezech. 1. (c) Ps. 54. 18.

Jacob benedicens longo sermone  
filiis ante mortem , separatus est ab  
illis : Christus dum benediceret illis ,  
recessit ab eis ; quis dubitet , si non  
ore , certe corde dicentibus ? non  
dimittemus te , nisi benedixeris nobis .  
Utrum porro in vestibus , & quali-  
bus , an amictus lumine sicut vestimen-  
to (a) ascendere visus sit , non ha-  
beo dicere . Et nubes suscepit eum ab  
oculis eorum : Nubes Majestatis est  
Divinæ insigne in Scriptura . Fere-  
batur , inquit Oecumenius , gravis illa  
nubes , magis à Christo , quam illum fer-  
ret . Felix clausula totius itinerarii  
Filii DEI ! exclamat hoc loco S. Ber-  
nardus . (b) Cælitum , & Angelor-  
um , quorum tum implebantur rui-  
næ , plausus quid loquar ? si na-  
scentem quam læti acceperint ,  
mente non assequor ; si gaudium  
erit in cœlo super uno peccatore  
pœnitentiam agente ? Ascendit Deus  
in jubilo , & Dominus in voce tubæ ,  
aje-

(a) Ps. 103. 2. (b) Serm. 2.

ajebat David , (a) ad applaudendum Ascendentem, cœlum terrāmque invitans , toto in illo Psalmo : ut & in altero : *Attollite portas Principes vestras , & elevamini portæ eternales , & introibit Rex gloriae.* (b) Posteaquam nubes suscepit eum ab oculis eorum ; tradunt communiter Interpretes , in momento super omnia elatum , & excelsiorem cœlis factum Salvatorem : non erat quippe ratio amplius cunctanter ascendendo moras trahendi. Ut exceptus à Patre , quid quæris ? verborum illorum Pharaonis ad Joseph , quem is vocavit lingua Ägyptiacâ Salvatorem mundi , veniat tibi in mentem. *Tu eris super Domum meam , & ad tui oris imperium cunctus populus obediens : uno tantum Regni solio te præcedam.* Ecce constitui te super universam terram Ägypti : absque tuo imperio , non movebit quisquam manum , aut pedem in omni terra Ägypti. &c  
(c)

Nu-

(a) Ps. 46. (b) Ps. 23. (c) Gen. 41.

Nubes cæli charum Magistrum  
Discipulorum eripuit oculis ; sed  
hos in cœlum fixos , ab aspiciendo  
prohibere non potuit : etiam si præ-  
ter viam , quâ elevatus ferebatur ,  
ne vestigia quidem amplius ulla-  
euntis videre potuerint. Cùmque  
intuerentur in cœlum euntem illum ; ec-  
ce duo viri astiterunt juxta illos in vesti-  
bus albis , qui & dixerunt : Viri Gal-  
læi , quid statis aspicientes in cœlum ?  
hic JESus qui assumpitus est à vobis in cœ-  
lum , sic veniet , quemadmodum vi-  
distis eum eunte in cœlum. (2) O docu-  
mentum , suūmatim complectens om-  
nia , quæ à Prophetis & Apostolis  
scripta , quæ à Domino per tot an-  
nos dicta & facta sunt ! dignum  
tanto Magistro , suam in cathedram  
supremam conscendente ! dignum  
loco ac tempore , in quo separa-  
tus à Sponsa Sponsus ( pro qua æstu  
amoris erga eam abreptus , non 14.  
ut Jacob pro Rachel , sed 34. an-  
nos

(2) Ad. I.

nos integros , formam servi acci-  
piens famulatus est ) his ei postre-  
mò verbis, per fidissimos suorum Mi-  
nistrorū , ex ipso, ut est genius aman-  
tium, itinere, statim ab abitu valedi-  
xit ! Sic abii : sic veniam. Adventū meū  
primum , quem vidistis , unā cum se-  
cundo, quem futurū videbitis , com-  
binare: utrumq; pariter cogitate: al-  
ter alterius meditationē in pectore  
vestro foveat , juvet , inflammeret :  
primum illum credite , verbōque &  
opere contestari non cessate ; hunc  
secundum diligite , ac præcincti ,  
lucernisque instructi ardentibus , vi-  
gilantes expectate. An non isthic,  
*Homo quidam Nobilis abiit in Regio-*  
*nem longinquam accipere sibi regnum ;*  
*& reverti ? Hoc idem docuerat in*  
*passione sua Dominus , cùm in sum-*  
*mo Judæorum concilio à Caipha*  
*Pontifice interrogatus dicente :*  
*Adjuro te per Deum vivum , ut dicas*  
*nobis , si tu es Christus Filius Dei : dicit illi JE-*  
*sus : Ego sum : tu dixisti. Verumta-*

*meB*

men dico vobis , amodo videbitis Fi-  
lium hominis sedentem à dextris virtutis  
Dei , & venientem in nubibus cœli.  
Passionis enimverò ac Dominicæ  
gloriæ memoria , requirit potissi-  
mum ; ut oculos identidem in eum  
ad judicandum venturum conver-  
tamus : scientes , de illa rationem  
nobis strictam esse reddendam ; me-  
mores illius , quod crucem baju-  
lans dicebat : *Si in viridi ligno hoc fa-  
ciunt , in arido quid fieri ?* hujus in co-  
gitatione , ut ne stemus otiosi aspi-  
cientes in cœlum , gloriāmque Re-  
demptoris ; sed operemur dum tem-  
pus habemus , similesque hominibus  
expectantibus Dominum suum , donec  
revertatur à nuptiis , vigilemus ; qui  
sicut fur , horâ , quâ non putamus ,  
è cœlo ad nos judicandos veniet.

Priùs quâm ab isto recedamus  
spectaculo , juverit notâsse inpri-  
mis : quòd in vertice montis Oli-  
veti , in loco unde ascendit , im-  
pressa Christi vestigia sic extiterunt ;  
ut

ut licet à Fidelibus terra , pietatis  
causâ , raderetur , ac tolleretur ,  
semper tamen pristinam recuperâ-  
rint formam , indelebilia : quæ ho-  
diéque monstrantur , ait S. Hiero-  
nymus , quamvis terra eadem quo-  
tidie à Credentibus hauriatur . Ex  
his vestigiis , Dominum facie ocu-  
lisque ad Occidentem , suæque se-  
dem Ecclesiæ principem conversis ,  
ascendisse colligit Adrichomius . (a)  
Deinde idem Hieronymus , Pauli-  
nus , Beda , & alii tradunt , cùm  
ibidem postea S. Helena pulcherri-  
mam condidisset Ecclesiam , rotun-  
do schemate ; in cuius medio im-  
pressa cernerentur sancta vestigia :  
summum illius cacumen , propter  
Divini corporis meatum , contegi ,  
& concamerari nullo modo potuif-  
se ; sed excussum semper divinitus ,  
quod manus , claudendi & ador-  
nandi studio , tentavit apponere ;  
viâ , quâ transivit Ascendens , à  
ter-

(a) In descr. Jeruf. n. 192.

terra usque ad cœlum patente. Ecclesia hæc multis ibi seculis permansit ; Salvatoris autem vestigia adhuc cernuntur , ait citatus Adri- chomius. Est etiam memoriæ à nonnullis proditum , olim à Chris- tianis omnem feriam quintam propter hanc Ascensionem , non secus ac Dominicum diem ob Resurre- ctionem fuisse solenni cultu cele- bratam ; vetitumque ut isto , illo item die jejunium : verùm postea, ne die Jovis Jovem putaremur à Gentilibus colere , ut inquit S. Augustinus ; Durandus addit , ne multiplicatis Christianorum festivi- tatibus , earum numerus nimioperè accresceret ; id esse ( fortasse nec ubique usitatum ) abolitum. Ec- clesia in Litaniis huic soli Myste- rio adjungit epitheton illud ma- gnum : Per admirabilem Ascensionem tuam , libera nos Domine. In Missæ Sacrificio Consecrationi subjungens in Persona Christi Sacerdos : Hæc

quotiescumque feceritis, in mei memoria-  
riam facietis: canonem, quem pro-  
sequitur, sic incipit: Unde & me-  
mores Domine nos servi tui, sed &  
plebs tua sancta, ejusdem Christi Filii  
tui Domini nostri tam beatæ Passionis,  
nec non & ab inferis Resurrectionis, sed  
& in cælos gloriæ Ascensionis, offeri-  
mus &c. In fine pariter Offertorii:  
Suscipe, inquit, sancta Trinitas hanc  
oblationem, quam tibi offerimus ob me-  
moriæ Passionis, Resurrectionis & A-  
scensionis JESU Christi: &c. Quidni sa-  
tis in hoc vides explicatum; Sacri-  
ficium Eucharisticum institutum esse  
in memoriam horum trium Myste-  
riorum? quo, quid ad ea menti cor-  
dique nostro intimè infigenda, dici  
possit gravius, haud scio.

#### §. IV.

Sedet ad dexteram Dei Patris  
Omnipotentis.

**C**Redimus his verbis Humanita-  
tem Salvatoris super omne,  
quod

quod creatum est , in cœlo esse col-  
locatam & exaltatam à Patre , sive  
à tota sanctissima Trinitate , atque  
adeò à sua propria Divinitate : qua-  
propter si rem spectes, posset dici se-  
dere ad dexteram totius sanctissimæ  
Trinitatis ; verùm quæ à Deo ac-  
cepit in carne , illa Patri conve-  
nientissimè , à quo suam etiam ha-  
bet Deitatem , appropriantur. Cre-  
dimus Redemptorem nostrum esse  
in primo proximoque à Divina  
Majestate loco , quoad naturam  
suam humanam : nam ut Deus nul-  
lā re Patre ac Spiritu sancto est in-  
ferior , & nec unico regni folio  
præceditur ; ut Deus autem homo  
factus , unitam sibi fragilitatis nostræ  
substantiam in gloriae Divinæ dextera  
collocavit , canit Ecclesia. Per hanc  
itaque dexteram humano modo si-  
gnificatur summa illa Dominicæ  
carnis nos redimenti dignitas :  
quasi hæc una sedeat à dextris Dei ,  
à sinistris verò **Angeli** , hominésq;  
bea-

beati, cum Regina Dominaque sua,  
Filio in ordine proxima. Ut por-  
rò dextera Patris, sic & sessio Chri-  
sti est metaphorica: nam re verâ  
Beatorum corporibus stare, ac mo-  
veri quoquo, idem est ac sedere,  
quoad quietem, Majestatem, vo-  
luptatem: legimus nihilominus eum  
sedere: S. vero Stephanus à Ju-  
dæis lapidatus, *vidit cælos apertos &*  
*Filium hominis stantem à dextris Dei.*

(a) Utrumque aptissimè: sedens  
dicitur, non ad humilitatem sessio-  
nis ut dictum de passione; sed ad  
quietem ac Majestatem alludendo;  
quia in summa est quiete ac pace, est  
in Regiae suæ Majestatis throno  
supremo: ubi non dicit amplius,  
regnum meum non est de hoc mun-  
do: sed etiam stat, ut indicetur  
vigil ac procinctus semper, ad nos,  
sponsamque suam dimicantem in  
terrâ adjuvandam, & gubernan-  
dam; Mediator, atque Advocatus  
noster apud Patrem, totamque san-

(a) Att. 7.

ctis.

Etissimam Trinitatem. Quanta hæc  
est, ô filii hominum , gloriæ speiq;  
nostræ arrha ! Si Deus pro nobis , quis  
contra nos ? qui etiam proprio Filio  
suo non pepercit , sed pro nobis omnibus  
tradidit illum : quomodo non etiam cum  
illo omnia nobis donavit ? Quis est , qui  
condemnet ? Christus JESUS , qui mor-  
tuus est : imò qui & resurrexit , qui est  
ad dexteram Dei , qui etiam interpel-  
lat pro nobis. (a) Semper vivens ad in-  
terpellandum pro nobis. (b) Quæ cùm  
ita sint , hæc ejusdem Apostoli est  
conclusio : si consurrexistis cum Chri-  
sto , quæ sursum sunt querite , ubi Chri-  
stus est in dextera Dei sedens , quæ sur-  
sum sunt sapite , non quæ super terram.  
(c) Hæc est Ecclesiæ oratio : Con-  
cede quæsumus omnipotens Deus , ut  
qui Unigenitum tuum Redemptorem no-  
strum ad cœlos ascendisse credimus , ipsi  
quoque mente in cœlestibus habitemus.  
Verbo undō : Nostra autem conversa-  
tio in cœlis est : unde etiam Salvatorem

h

ex-

(a) Rom. 8. (b) Hebr. 7. 25, (c) Coloss. 3. 20.

*expectamus*, (a) *reversurum à nu-*  
*ptiis, ut abiit.*

§. V.

*Inde venturus est iudicare vivos  
et mortuos.*

**A**D septimum Symboli Articu-  
lum, ad ultimum maximum-  
que nostri Redemptoris opus, ad  
judicium extremum venimus. Vo-  
luit Deus, ut ab eodem, qui nos  
salvavit, judicaremnr: ut qui the-  
sauros tantos, labore, sanguine,  
morte suâ partos, in nos effudit;  
qui talenta & mnas tam preciosas  
ac fertiles, doctrinam & exempla  
talia reliquit; idem rationem pone-  
ret nobiscum de his universis; ser-  
vosque bonos ac fideles in Regnum  
suum deduceret, malos pigrósque  
mitteret in ignem æternum. Vo-  
luit, ut quem in primo suo adven-  
tu tam fæde ac barbarè tractavi-  
mus; rediret iterum in consumma-  
tio-

(a) *Coloss. 3. 20.*

tione seculorum , hostibus terribi-  
lis , fidelibus amicissimus . Dixit D-  
minus Domino meo , sede à dextris  
meis : donec ponam inimicos tuos scabel-  
lum pedum tuorum . Dominare in me-  
dio inimicorum tuorum . Dominus à  
dextris tuis : confregit in die iræ suæ Re-  
ges , judicabit in nationibus , implebit  
ruinas , Angelorum cœlo dejecto-  
rum , conquassabit capita in terra mul-  
torum ; cur hæc omnia illi , néque  
alteri commissa ? De torrente tribula-  
tionum in via bibet , propterea exalta-  
bit caput . (a) Hic ipse , quem occide-  
runt suspendentes in ligno , quem Deus  
suscitavit tertiam die , præcepit nobis præ-  
dicare populo & testificari , quia ipse est ,  
qui constitutus est à Deo Jūdex vivo-  
rum , & mortuorum , ajebat concio-  
nans ad Judæos & Gentiles S. Pe-  
trus . (b) Ergo , inquis , Deus nos  
qui creavit non judicabit ? Respon-  
deo , Pater non judicat quemquam ,  
sed omne iudicium dedit Filio , Joan.

22. hoc est, Deus judicabit, sed  
carne vestitus humanâ; non secus  
ac Deus omnesque tres Personæ  
nos redemerunt, sed in natura no-  
stra per unam carum assumpta. In-  
de venturus est: unde? à summo illo  
ad dexteram Patris loco. Non igi-  
tur erit in die judicii in cœlo? Con-  
cedo. Erit tamen in eadem gloria;  
quam secundum in omni loco, ut pœ-  
nam damnati, circumfert beatus.  
Néque credibile est, locum illum  
super omnes cœlos positum, post  
Ascensionem suam, à Domini hu-  
manitate unquam desertum, vel  
deserendum; præterquam hoc uni-  
co tam solenni die: in quo Majesta-  
tem suam maximam, terris etiam,  
atque universo mundo congregato,  
Salvator & Rex illius, visibilem  
demonstrandam judicavit. Quare  
in Eucharistiæ Sacramento, totque  
in particulis illius consecratis, ve-  
rè ubique adest; sed replicatus ubi-  
que, cœlo minimè relicto: Paulo

iti-

itidem Ecclesiam persequenti appa-  
ruit in via, sed simul eodem tem-  
pore sedens ad dexteram Patris :  
quod etiam de apparitionibus aliis,  
Christique præsentia in terris , si  
quæ post Ascensionem alia fuit , in  
hoc primi ac secundi ejus Adventus  
intervallo, arbitror esse sentiendum.  
At in extremo judicii die , quòd  
secundum naturæ humanæ motum,  
de loco ad locum venturus dicen-  
dus sit , quis dubitet ? Sic veniet ,  
*quemadmodum vidistis . cum euntem*  
*in cœlum :* ivit , venientque loco un-  
de abivit deserto , locum , ad quem  
transivit , occupans de novo . Tan-  
tus est hic ejus secundus in terras  
adventus ; ut cum primo à Scriptu-  
ris & ab Ecclesia , tanquam poli  
duo , in quibus Christiana Religio  
versatur , comparetur .

De hoc illius reditu , libri omnes  
Divini ac Prophetæ prædicant quām  
plurima . Diem vocant *magnum &*  
*horribilem , diem iræ , diem furoris ,*  
h 3 ul-

ultionis , vindictæ , diem terribilem valde , diem tribulationis & angustiæ , calamitatis & miseriæ , diem crudelém , & indignationis plenum , & iræ furensque : quis poterit , quærunt , cogitare diem adventus ejus ? & quis stabit ad videndum eum ? Quis mihi hoc tribuat , ut in inferno protegas me , & abscondas me , donec pertranseat furor tuus ? (a) Mallent reprobi plures in inferno dies , quam hunc unum extra illum . Sed hæc cuncta illos , solosque flagellabunt iniquos : nam Sancti & Justi diligunt adventum ejus , expectantes revelationem Domini ac Salvatoris sui : tametsi , quamdiu in hoc mortali corpore , quod erant Sanctiores , hoc istius dici , & ejus , cuius judicia abyssus multa , timentiores : cum S. Hieronymo dicentes : *Quoties diem judicii cogito , toties corde & ore contremisco.* Sive dormiam , sive comedam , sive quidquam aliud

(a) Vide Joël. 2. Soph. 1. Isa. 13. Jer. 30. Mala. 3. Job. 14. &c.

aliud agam . semper vox illa auribus meis  
insonare videtur : *Surgite mortui, veni-  
te ad iudicium.* Quæ nihilominus  
piorum consternatio, spei est plena,  
& jucundior, quam tripudia impio-  
rum. *Servite Domino in timore , &  
exultate ei cum tremore.* Ps. 2. Ter-  
ribilem reddent præ cæteris diem  
illum , signa præcedentia innume-  
ra , in Evangelio sacrisque Scripto-  
ribus fusè annuntiata : in Anti-  
Christo præcessuro , in laxata dia-  
boli potestate , bellis , fame , pesti-  
lentiâ , terræ motibus , stellis de  
cœlo cadentibus , in tribulationibus  
calibus , quales non fuerunt ab initio  
creatûræ : demum præter alia sex-  
centa , in igne vorante , atque ex-  
urente cœlum & terram , locum &  
instrumenta peccati , arescentibus ho-  
minibus præ timore & expectatione ,  
quæ supervenient universo orbi : (a)  
denique in resurrectione mortuo-  
rum , per Angelos missos cum tuba

& voce magna , à quatuor ventis  
undique convocatorum. His trans-  
actis , veniet tandem ille Rex tre-  
mendæ Majestatis,in nubibus,de cæ-  
lo , cum gloria , in sede , atq; à sede  
Majestatis suæ,cum Angelis , & uni-  
verso cælorū exercitu. Adesse debe-  
bit etiā diabolus cum infelice suæ fæ-  
cis turba : adesse debebunt , & quos  
limbus puerorū captivos habet: suam  
universi audituri sententiam. Tunc pa-  
rebit signum Filii hominis , (a) id est ve-  
xillum Crucis præferendum Judici ;  
vel denuò efformandæ ; vel quod  
alii censem ( estque probabile )  
ipsa Crux vera, in qua Redemptor  
pependit, componenda per Ange-  
los: imò & reliqua Passionis instru-  
menta illic producenda graves cre-  
dunt Authores. Quo in loco, ro-  
gas , hæc universitas creaturæ ra-  
tionalis cogenda,& sistenda Judici?  
de communi sententia dico , lo-  
cum huic tantæ actioni præfixum,  
esse vallem Josaphat , quæ jacet

(a) Matth. 24.

Hic-

Hierosolymam inter, montemque  
Oliveti, ex quo prout tunc veniet,  
ivit in cœlum. Quomodo mundus  
totus in tam exiguum terræ spa-  
tium compingendus? De Angelis  
& corporibus beatis id captu facile:  
reproborum corpora sunt per se ad  
angustias damnata: ne plura, quæ  
impossibilia sunt apud homines, possibi-  
lia sunt apud Deum. (a) Congregabo  
omnes Gentes, & ducam eas in val-  
lem Josaphat, & disceptabo cum eis ibi.  
Consurgant, & descendant Gentes in val-  
lem Josaphat, quia ibi sedebo, ut judi-  
cem omnes Gentes in circuitu &c. (b)

Imaginem judicij hujus quis me-  
liùs, quam Judex ipse depinxerit?  
Cùm autem venerit, inquit, Filius ho-  
minis in Majestate ejus, & omnes An-  
geli cum eo; tunc sedebit super sedem  
Majestatis suæ: & congregabuntur ante  
eum omnes gentes, & separabit eos ab  
invicem, sicut Pastor segregat oves ab hæ-  
dis; & statuet oves quidem à dextris

fuis, hædos autem à sinistris. Tunc dicit Rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esurivi enim, & dedistis mihi manducare; fisi vi & dedistis &c. Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus: esurivi enim, & non dedistis mihi &c. Et ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam. (a) Tribunal istud manu delineatum Pictoris contemplans Bogoris Rex Bulgarorum, fidem Christianam amplexus traditur: O mortales! si hanc, quæ descripta in Evangelio, spectatis imaginem; si hæc Domini verba, ut par est perpenditis; quis vestrūm non totus convertatur ad Deum Salvatorem suum? non cum metu & tremore operetur salutem suam? S. Pelagia poenitens, à mundi vanitate per B. Nonnum Episcopum

(a) Matth. 25.

pum Heliopoleos abstracta , perpe-  
tuæ pœnitentiæ se addicere volens,  
locum ei peragendæ, supremi judicii  
sibi delegit : nam in monte Olive-  
ti erecto tugurio , ex quo in val-  
lem Josaphat despectus erat , jugi-  
ter Christi patientis æquè , ac ven-  
turi judicis imaginem , dum vixit in-  
tuebatur. Niceph. l. 14. 4. Exa-  
men ante latam sententiam insti-  
tuendum , libros aperiendos , con-  
vincendos reos , exprobrandam iis  
impietatem ; hos cum illis , malos  
cum bonis , minus delinquentes  
cum scelestioribus contendendos ;  
aliaque hujusmodi ad humani for-  
mam judicii quæ legis ; crede ve-  
rissima , sed absque humanis defe-  
ctibus , néque modo humano in-  
telligenda. Nullius etenim ibi oc-  
ulta vel dubia poterit esse iniqui-  
tas : patebunt omnia cunctis æquè  
ac Judici , se pariter & quemlibet  
cuilibet revelanti : disputationis  
ac defensionis , spei ac misericor-  
diæ

diæ locus nullus ; tute tñi sceleris  
testis & improperium : nemo que-  
ri, nemo se , vel ullum alium mi-  
nus justè punitum , aut præmiatum  
cogitare poterit ; non liquere dicet  
nemo ; mundo universo conclama-  
turo : *Justus es Domine , & rectum*  
*judicium tuum.* Itaque cùm audis  
interrogari , si justus vix salvabitur ,  
impius & peccator ubi parebunt ? (a)  
id de vitæ hujus tempore accipe ,  
non de illo die ; quem qui justus  
excipit , nulla hunc præteritorum  
criminum notabit ignominia ; pe-  
riculum , metus , malum ei nullum  
appropinquabit ; sessuro unà cum  
Judice super sedes duodecim , &  
judicaturo 12. tribus Israël : id ,  
quod Apostolis expressè promis-  
sum ; & Paulus de se , *nescitis* , ait ,  
*quoniam Angelos judicabimus , quanta*  
*magis secularia ?* (b) Angelos sine  
dubio malos : quæ prærogativa &  
reliquis attribuenda pro portione  
se-

(a) *1. Pet. 4. 18.* (b) *1. Cor. 6. 3.*

secundum Apostolos justis, senten-  
tiam Judicis confirmaturis, & cum  
eo condemnaturis impios. Quo-  
rum vah ! quam inexplicabilis fu-  
tura confusio ! cum Pilatus, & He-  
rodes, Annas, & Caiphas sub pe-  
dibus ejus, videbunt, in quem trans-  
fixerunt, (a) & inimici ejus terram  
lingent : (b) quid ? cum tu deterior  
his, Christiane, videbis, quem rur-  
sus toties tibimet ipsi crucifixisti ? Reges  
terræ, & Principes, & Tribuni, & di-  
vites, & fortes dicunt montibus & pe-  
tris : Cadite super nos, & abscondite  
nos à facie sedentis super thronum, &  
ab ira Agni. Quoniam venit dies ma-  
gnus iræ ipsorum, & quis poterit sta-  
re ? (c)

Et ibunt hi in supplicium aeternum,  
justi autem in vitam aeternam. Tunc  
peccator videbit, tot alios olim omni  
ex parte tantò inferiores, ire in  
coelum, se verò in tartarum præci-  
pi-

(a) Joan. 19. (b) Ps. 71. 9. (c) Apoc. 6.  
v. 15. 16. 17.

pitari ; & irasceretur , dentibus suis fre-  
met , & tabescet : desiderium peccato-  
rum peribit. (a) Hæc istorum ab illis  
separatio , hoc tam discrepans iter,  
quo pars utraque ibit in domum æter-  
nitatis suæ ; erit universalis mundi  
historiæ finis. Quid vis amplius ?  
est unum subjiciendum adhuc , quo  
hæc concludetur historia. S. Pau-  
lus ordinem humanæ resurrectionis  
enarrans : Primitæ , ait , Christus :  
deinde ij , qui sunt Christi ; deinde finis :  
cum tradiderit Regnum Deo & Patri :  
oportet autem illum regnare , donec po-  
nat omnes inimicos sub pedibus eius :  
cum autem subjecta fuerunt illi omnia ;  
tunc & ipse Filius subjectus erit ei , qui  
subjicit sibi omnia : ut sit Deus omnia  
in omnibus. (b) Hæc verba scanda-  
lizârunt Arrianos veteres , tempo-  
râaque nostrorum ; ut dicerent  
stultè , Christum quâ Deum etiam  
subjiciendum , ac minorem Patre :  
sed mentita est iniqüitas sibi. Ne  
plu-

(a) Ps. iii. 10. (b) 2. Cor. 15. v. 23-24. Sc.

plura: post diem judicii, Salvator,  
ajo, quā homo tantūm subjicietur  
Patri, sanctissimæque Trinitati: at  
nunquid antea etiam, & semper sub-  
jectus ei fuit secundūm humanitatē?  
etiam: sed nihilominus de isto id  
potissimum tempore, quo secundò in  
cælū cum beatis omnibus ascendet,  
dicendum; quia tunc eminentiam  
unam, & magistratum summum,  
quem in nos quā Deus Incarnatus  
exercuit, eō felicissimè defunctus,  
in manibus Patris deponet: quam  
illam? fuit ab eo constitutus no-  
ster Redemptor, Pontifex, Magister,  
Advocatus interpellans pro nobis,  
Judex; post diem autem illum ex-  
tremum, munus & gubernium hoc  
deponet, dicens quasi: Pater ego te  
clarificavi super terram. Manifestavi  
nomen tuum hominibus. Opus con-  
summavi, quod dedisti mihi ut faciam:  
Et nunc clarifica me tu, meosque,  
apud temetipsum; claritate quam habui,

prius-

*prinsquam mundus esset , apud te. (a)*  
Ecclesiâ etenim militante cessante,  
cessabit salutis nostræ procuratio;  
cessabunt Sacra menta , doctrinæ ,  
intercessiones , judicium : cessa-  
bit omnis æconomia , ut Græci Pa-  
tres vocant , ut Latini , *dispensa-  
tio* Incarnationis Christi ; hoc est  
regnum ejus , quoad nos , ut dixi-  
mus , salvandos : & erit Deus omnia  
*in omnibus* , id est , facie ad faciem ,  
non in carne sola Redemptoris ,  
non in littera & Sacramentis , vi-  
de bimus omnes , Dominique huma-  
nitas nobiscum , ultimum finem  
nostrum Deum : erit Deus unus  
multò eminentiore in gradu , *om-  
nia* bona , quæ per Salvatoris car-  
nem in terra habuimus , *in omni-  
bus* nobis. Regnum nihilominus  
Christi , cui conregnabimus , hâc  
solâ dispensatione , ut dictum ,  
nostræ salutis evacuatâ ; quoad re-  
liqua omnia ; & excellentia super  
omnem

(a) *Ioan. 17.*

omnem creaturam ; benedictio , & gratiarum actio naturæ illi , per quam salvati sumus , salus ac beatitudo per eum obtenta , manebit in æternum : propterea in fine hujus Articuli addit aperte Symbolum Missæ : cuius Regni non erit finis : juxta verbum Angeli ad Deiparam : & Regni ejus non erit finis.

Dicitur judicatus vivos & mortuos : Judex constitutus vivorum & mortuorum. Quæres , quinam sunt hi vivi , cùm in die judicii neminem nisi antè mortuum , atque à mortuis resurgentem comparatum existimemus ? R. Non uno quæstionem hanc ab Interpretibus , néque facili expediri modo. Missis cæteris , Ruffinus judicandos vivos & mortuos inquit , hoc est , animas , & corpora : Chrysostomus ( in hujus explicatione Symboli uterque ) justos , & injustos : quam interpretationem Sanctus etiam

etiam fecutus Augustinus : (a) oprimam, sed mysticam. Ergo in sensu literali communis videtur esse opinio, per vivos intelligentium eos, qui vivi, ut ajunt, in die iudicii reperiendi, sive temporibus illis postremis victuri. Sed nunquid & hi morituri prius, & ad vocem tubarum Angelicarum resurrecturi, quam iudicio statuendi? Nonnulli, Veterum etiam, quibus ipse accesserat Augustinus, (b) putabant hos sine morte ulla transi-turos à corpore mortali ad immor-tale, adeoque in illis Salvatorem verè Judicem vivorum, nunquam mortuorum futurum. Verum hanc postea sententiam retractavit S. Au-gustinus; (c) estque omnium ferè cum S. Thoma Theologorum do-trina, neminem omnino mortaliū, nec istos, à lege mortis, na-turæ ac peccato originali statuta,

ex-

(a) *L. in Enchir. c. 51.* (b) *L. 2. de pecc. merit. c. 31.* (c) *L. 20 de Civit. c. 20.*

excipiendos : hinc præfatæ opinio-  
nis Authores ajunt eos , qui ex-  
tremo judicio erunt proximi , di-  
ci judicandos vivos ; eò quod bre-  
vissimo inter mortuos tempore fu-  
turi sunt. In hac expositione, hoc  
mihi durum esse videtur : quod  
præterquam & hi re ipsâ mor-  
tuis adnumerandi ; propter tam  
paucos , singularem illum Judicis  
vivorum titulum Domino datum ,  
& omnium judicandorum distribu-  
tionem partim in mortuos , partim in  
vivos , temporis tantum illius novissi-  
mi , factam , vix inducor ut credam .  
Quid si dicamus planius ? cùm cer-  
tum sit habendum , homines cum  
eos morituros antè , ac resurre-  
ctuos , quā ad judicium rapien-  
dos ; Christum Judicem vivorum  
nominari ac mortuorum , non quod  
illi eo in tribunali ( in quo erunt  
omnes immortales ) corpore in  
mortali vivi aut mortui futuri ; sed  
quod eos sit judicaturus , qui nunc  
par-

partim vivunt, partim mortui sunt:  
ita ut vivos, mortuosque, pro di-  
verso statu temporis eosdem homi-  
nes intelligas: quasi prædicaremus  
eum esse Judicem constitutum om-  
nium mortalium, tam qui ante nos  
fuerunt, id est, mortuorum; quām  
nobis coævorum, aut post nos fu-  
turorum, id est, vivorum: unde  
verbō præteritorum, sive mortuo-  
rum; præsentium, ac secūtūrōrum,  
sive vivorum. Præponimus autem  
vivos mortuis, quia nobis viven-  
tibus est memoria, timórque inge-  
rendus Judicis; ac ne ullus existi-  
met numerum judicandorum cum  
iis, qui ante nos vitâ functi, esse  
finitum. Accipe Apostolica verba,  
quæ pro se citat communis opinio  
allegata, & quām aptè consentiant  
cum hac explicatione, adverte.  
*De dormientibus non contristemini,*  
*sicut & cæteri, qui spem non habent.*  
*Quia nos, qui vivimus, qui residui*  
*simus, in Adventum Domini non præ-*

veniemus eos , qui dormierunt . Quoniam ipse Dominus in jussu & in voce Archangeli , & in tuba Dei descendet de caelo : & mortui , qui in Christo sunt , resurgent primi : deinde nos , qui vivimus , qui relinquimur ; simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra : & sic semper cum Domino erimus . Itaque consolamini invicem in verbis istis . (a) Nolite ô Thessalonicenses putare infeliores illos , qui jam deceperunt nobis viventibus , aut viaturis ; néq; credite difficilius resurrecturos eos , quorum ossa pridem corrupta , & nescio quot in substantias alias transmutata sunt ; quam hos , qui à morte sua recentiores fuerint : quia hi non prævenient illos in resurgendo . Nam qui ante nos mortui sunt in Christi gratia ( ut & nos , omnésque posteri , justi morituri ) resurgent primi : hoc est , vel præcessuri , non temporis , sed di-

(a) 1. Thess. 4. v. 12. 14. 15. Sc.

dignitatis ordine reprobos resu-  
gentes ; vel resurgent primò simul  
omnes , deinde rapiuntur obviam  
Judici : ideo inquit , deinde nos ,  
qui vivimus , qui relinquimur in vi-  
ta diutiis , simul cum illis ( ut si-  
mul surreximus ) rapiemur in nubi-  
bus obviam Christo in aëra : non ait,  
illi primi , deinde nos resurgemus :  
verum illi resurgent primi ; subau-  
di , nobiscum : deinde nos simul  
cum illis rapiemur. Omnes enim  
justi statim ac resurgent , rapien-  
tut , & Angelorum Dominique vir-  
tute , & Corporis sui gloriofi agi-  
litate , in occursum Judicis , Re-  
gisque sui de cælo venientis cum  
Majestate ; latus Divinum illius  
cincturi , secundum suam unus-  
quisque dignitatem , in aëre , in  
nube splendidissima ; illud dicentes  
Angeos audituri : Ecce Sponsus ve-  
nit , exite obviam ei. Atque hac in  
gloria , suo quémque in throno ,  
confessuros justos posse Judicem in  
hoc

hoc tribunali, per agilitatem suam,  
in aëre super vallem Josaphat emi-  
nente suspensos; reprobis solis sub  
eorum, Dominique pedibus in ter-  
ra constipandis, gravium est Theo-  
logorum opinio.

Reliquum est, ut aliquam etiam  
judicii particularis, ut vocamus,  
mentionem faciamus: indubium  
námque, mortalium quemlibet si-  
mul atq; moritur, judicari sua in ani-  
ma, & loco quem meretur in illo  
seculo, transcribi. Dico brevissi-  
mè, defunctorum omnium animas  
statim ac migrant, recipere à Chri-  
sto Judice, prout merentur, sive  
bonum, sive malum. Non quòd  
ad tribunal hoc peragendum, illæ  
in cælum, ad Dominum deferendæ;  
ut volebant aliqui: non quòd Do-  
minus, à dextera Patris descendat,  
ut ad illud universale, sic & ad  
hoc particulare uniuscujusque judi-  
cium; id siquidem sine fundamen-  
to affereretur: nec est hīc eadem,  
atq;

atque in Eucharistia , Christum toties replicandi ratio : verùm in eodem loco ac tempore , in quo morimur ; Judex de cælo vel per locutionem intellectus , ut exempli causâ fit inter Angelos absentes , animæ facta sua repræsentat , ac pro merito , vel demerito suam in eam profert sententiam : vel , quod æquè videtur esse credibile , id totum agit per Angelum uniuscujusque Custodem , suum eo in munere legatum ; qui animam cælo adjudicatam , cum triumpho , vel protinus illuc , vel si quid nævi pianum adhuc habeat , in purgatorium priùs deducat : damnatam verò tradat tortoribus , carcerique destinato . Quæ cùm ita sint , quem in finem , rogas , judicium instituendum universale , nostrum omnium causâ in his particularibus plenè absolutâ ? quid in valle Josaphat postmodum , nisi aëtum agetur ? Respondeo , sine dubio ,

si nihil præter decisionem causæ ,  
& executionem sententiæ spectas,  
ætum agetur : at infinita Patris sa-  
pientia , ut Filium suum , in quo si-  
bi bene complacuit , qui nomen  
ejus tanto suo labore mundo ma-  
nifestavit , salutemque nostram in  
primo suo Adventu pessimè acce-  
ptus , procuravit ; ut eum inquam  
exaltaret , inimicos ejus ut igno-  
miniâ , honore amicos in mundi  
universi oculis afficeret ; diem il-  
lum supremum secundi ejus Adven-  
tus , ac judicii universalis decrevit.  
*Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic de-*  
*dit & Filio habere vitā in semetipso:* hæc  
est prima illius & æterna gloria ,  
quam per essentiam suam habet :  
*Et potestatem dedit ei judicium facere ,*  
*quia Filius hominis est , (a) quia est*  
*incarnatus , & homo factus ex mu-*  
*liere ; hâc eum gloriâ in terris se-*  
*cundâ cohonestavit , ut judicium*  
*istud generale in carne faceret : in*

i

quo

(a) *Ioan. 5, v. 26. 27.*

quo fleceretur ipsi omne genu ; qui  
se coram mundo exaltarunt , ut hu-  
miliarentur ; qui humiliarunt , ex-  
altarentur coram eodem : justi qui  
nolebant judicare ante tempus in  
hac vita ; qui plurimas suas injurias  
devorabant patientes , ac vindictam  
Judici relinquentes ; ut tunc eam  
retributam viderent ; *vindica Domi-  
ne sanguinem nostrum* , clamantes ,  
*stantesque magnâ constantiâ aduersus eos*,  
*qui se angustiaverunt.* Scripturæ plu-  
rimam judicii facientes mentio-  
nem , de hoc potissimum generali  
loquuntur ; quas tamen potes etiam  
ad particulare , quod explicuimus ,  
accommodare plerasque : imò non-  
nullas isti faciliùs , quām illi appli-  
cabis ; quæ nimirum ad vigilantium  
assiduam , ad expectandum adven-  
tum ejus nos exhortantur : qui ne-  
scimus , quando veniet , serò an mediâ  
nocte , an galli cantu , an manè , cuius  
dies sicut fur adveniet , horâ quâ non pu-  
tamus , &c. quæ de morte nostra , si-

ve de particulari judicio sunt propriè intelligenda : *Venit quippe Dominus, cùm ad judicium properat ; pulsat verò cum jam per ægritudinis mole. stias esse mortem vicinam designat.* *Aperire Judicii pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat.* Inquit S. Gregorius. Si hîc non inveniare minus habens ; nihil metuendum tibi est in judicio universali : in quo animæ corpori junctæ, non aliam, quâm judiciorum omnium particularium publicatam, & confirmatam excipient sententiam.

F I N I S.

